BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
14 — G
16
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

8-14-G-16

CAROLI SCRIBANI

E SOCIETATE IESV

SVPERIOR RELIGIOSVS

DE PRVDENTI AC RELIGIOSA GVBERNATIONE.

Coll. Rom. S.J. Cat. Ins.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MONASTERI VVESTPHALIÆ,
Apud Michaëlem Dalium.
ANNO M.DC.XX.
Cum Sac. Cæſ. Maieſtatis Priuilegio.

Digitized by Google

8.14.G.16

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. RICQVINO RVNDE, SACRI ORDINIS CISTERCIENSIVM in Marienfeldt ABBATI VIGILANTISSIMO.

DVodecimo vergentis mundi ſæculo à partu Virginis, Reuerende admodum Domine Abbas, egregius veſter Ordo Ciſtercienſis, ſub auſpicijs B.mi & mel-

melliflui P. Bernardi, cuius illu-
ſtrem ſanctitatem miraculorum in-
uſitata frequentia loquitur, præci-
puè ita toto orbe inclaruit, vt præ-
clariſſimus quiſque non attenta ge-
neris aut proſapiæ excellentia (ex
quibus etiam Henricus Franciæ Re-
gis frater erat) veſtræ religioſæ mili-
tiæ nomen dare gauderet. Idque eo
potiſſimum tempore cùm ſuborto
inter Sacerdotium & Regnum diſſi-
dio, iugulum Eccleſiæ parum pij Im-
peratores ſchiſmate & armis petere
non erubeſcerent. Nimirum vt dum
ſumma orbis capita mutuis ſe cladi-
bus funeſtarent, ipſa nihilominus
Eccleſia ampliori benedictione in
membris ſuis locupletata, veſtri
Ordinis ſanctitate refloreſceret. Ad-
miratus igitur orbis Chriſtianus ve-
ſtræ Religionis ſaluberrimum inſti-
tutum, adeò eidem prouehendo in-
cubuit, ſuaſque in id opes tam proli-
xè

Digitized by Google

xè effudit, vt centum & ſexaginta Monaſteria iam ſua ætate B. veſter Bernardus, ſui æui oraculum, antequam anno 1153. diem ſuum obiret, exſtruxerit. Præcelluerunt ceteris in hoc pietatis negotio è VVeſtphalis Comites de Hallermont / qui eodem Sancto adhuc ſuperſtite duobus erectis Monaſterijs altero in Luca, in Schima altero, veſtro monaſtico inſtituto terram Mindenſem ornauerunt. Nec multo poſt idem molitus eſt laudatiſſimus ille Princeps Hermannus II. Monaſterienſis Epiſcopus, quando ad annum 1185. cum viris illuſtribus VVedekindo Aduocato de Rede, eiuſque matre Lutride, Bernardo Comite de Lippia, Ludengero de Waldeck / concurrente ſuppetijs non contemnendis VVedekindo de Swalenborg & Waldeck Comite, concordi *in Deum pietate, in Eccleſiam zelo, in viros religioſos amore,*

 ve-

veſtro Monaſterio Mariẽfeldenſi in Wadenhorſt/fundando atque proue-hendo, ipſo Epiſcopo primum lapidem collocãte, piam operam nauarunt. Viuebat etiamnum in deuotiſſimis ſuis filijs S. P. Bernardi pietas, tantaq́; in Deum religio, vt idẽ Hermannus Epiſcopus ea Ordinis veſtri integritate captus, dimiſſis Eccleſiæ ſuæ gubernaculis, & præ cæleſtibus bonis vanã pertæſus gloriolã, veſtro ſe loco & ordini conſecraret. Necdũ Hermannus in fata conceſſerat cùm Adolphus Colon. Archiepiſ. parthenonẽ in Breidlar à Philippo prædeceſſore in VVeſtphalia erectã, veſtro contubernio quaſi oliiuã anteferẽs oleaſtro, anno 1196 tranſcripſit. Sed & ipſe Bernardus Comes de Lippia vir virtute & fortuna memorabilis, præ veſtra ſanctitate vitam exoſus ſecularem abdicato comitatu, in veſtrum Mariẽfeldenſe Monaſterium

ſeſe

ſeſe abdidit, vbi cùm Abbatem magna cum laude egiſſet, vir altiori faſtigio dignus, ad militarē & ſacram ſimul expeditionem in Liuones promouendam, eius gentis Epiſcopus conſtituitur, vel hoc vno à condita Eccleſia mirabilis, quod à filio ſuo Ottone tunc Vltraiectenſi Epiſcopo cōſecrationem pater accepit, ac dein circa anum 1220. Gerardum filium ſuū in Bremenſem Epiſcopū conſecrauit. Verſabatur tunc in omnium oculis Marienfeldenſis Monaſterij præcellentia, gratulabantur omnes pietati, atq; opulentię, quæ ad hoſpitalitatis obſequia ſeſe demittēs, & quaſi inter duo charitatis vbera exuberās, plus amabat ſe amātes, & vnius fidei inter omnes, ſummos & infimos vinculū gratuito charitatis & obſequiorum nexu vinciebat, atq; huius tātę pietatis hęreditas: hoc glorię, per tot ſęcula, ſub pia quaſi

auctione collectum patrimonium: huius tam religioſi, tamque amabi-bilis inſtituti veneranda integritas, ad Te peruenit, cum ſacra tua Con. gregatio Te præ alijs dignè exornatum ſibi venerandum imitandumq́; propoſuit, & Tuæ virtuti magnum hũc Campum aperuit in quo decurrat. Quare mox ad Tuorum ſubditorum emolumenta pro paterno affectu animo & cogitatione conuerſus, priuatis priuata ſpectantibus, communi bono inuigilare adorſus es, ratuſque parum tutam, minuſq́; ſolidam eſſe pietatem cùm à bonis literis diuortium facit, viro exemplari & docto non ſine magno impendio ſolicitudinis Tuæ partem in iunioribus erudiendis commendaſti. Vnde id ſperare cuiuis prõptum eſt, vel Tua laudabili vigilantia, atque opera propediem effectum iri, vt celeberrimum hoc totius VVeſt-

pha-

phaliæ Monaſterium, allectis in ſup-
plementum viris pijs & eruditis o-
mnium gratulatione effloreſcat. Li-
bellum proinde R. P. Scribani de
Superiore Religioſo à me typis edi-
tum, ad Te de præclaris Tuis conati-
bus & deſiderijs gratulatum miſi,
non quod egregiam Tuam in aſceti-
cis & ſacris rebus peritiam quic-
quam huius argumenti prætereat,
ſed vt in aliorum porro manus pro-
penſius admittendus, de Tui notiſſi-
mi per VVeſtphaliam nominis &
celeberrimi Veſtri Ordinis dignita-
tate, authoritatem, gratiam, & com-
mendationem in vulgus mutuare-
tur & mereretur. Accipe igitur
Reu^{de} admodum D. Abbas typogra-
phicum hoc munus, Tibi præ alijs
vni debitiſſimum, idque ab animo
Tuis obſequijs cumprimis dedito,
Tuique honoris perſtudioſo profe-
ctum habe. Flos Virginis te in Cam-

Digitized by Google

po & roſeto ſuo, Matriano florem ſibi diu acceptabilem & ſuperſtitem velit. Monaſterij è typographeio 24. Februarij, Anno 1620.

Admodum Reuerendæ
Paternitatis Veſtræ

Obſeruantiſſimus

Michaël Dalius Typog.

AD-

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO

DOMINO

AC PATRI

ANTONIO

DE VVINGHE,

ABBATI LÆTIENSI,

ORDINIS S. BENEDICTI.

QVID à me petis peritus nauclerus, veteranus miles, fortunatus imperator? toties inter decumanos animorum fluctus, vt in datario pilæ luſu, irata riſiſti maria, tempeſtatibus ſuperior, toties ſub Bloſianis ſignis, generoſum interritus ſanguinem dediſti, hauſiſti, ſemper victor, etiam de genu. Iam non quot capita, tot exercitus duxiſti? quid enim ſinguli ſunt Religioſi niſi inuicta hoſtibus acies, infractum robur? cùm in ſingulos tot inimi-

ca inferis inſurgant agmina, tot hoſtiles legiones: vt, niſi fatuus ſim, prudentis quę imperaſti gubernationis in Religione capita tradere non debeam. & tamen cùm fatuus audire malim quàm iudicij nimis tenacis, minúſque ad imperia obſequentis; parebo imperanti, & ſtoliditatem meam omnium oculis obiiciam. vt, ſi non alium fructum quàm multorum riſum referam, beatum me arbitrer, qui ex me factus mihi ſim magnæ ſubmiſſionis magiſter magnus. Venit nunc ergo ad te imperio tuo hic libellus, tãquam à recenti catuli iactu, qui cellâ tecum ludat, dormiat, in manibus tuis, ſinu tuo. ego illi pater, tu mater eris, fouebis, & vbera etiam admouebis, melior patre mater, tenerúmque & à patris manibus trepidantem Bloſianis vberibus lactabis. felicem ſinu tuo, vberibus illius. nam à mea manu nihil adfert præter annorum aliquot tenuem ſparſámque arenam, quam Tu, prudenti tua dextera; nobilis figulus, è pingui fertilíque Bloſiana argilla & rore refingas. vt quem inueſtem & implumem dimiſi, ornatum alatumque calamo tuo recipiam: eo feliciorem, quo è fœcundiore ſolo tuo, in arentem

hunc

hunc agrum ex opimæ ac mitis Bloſianæ oliuæ nucleo, in agreſtem hunc oleaſtrum, fortunatum ſurculum inſertum videro, deque papauere gratiſſimæ ac ſuauiſſimæ Lætiacæ fici, in hanc caprificum melior groſſus exurgat, vt de veſtro fructificem, non veſter, imò iam veſter, nec degener Bloſiano grano, qui Ignatiana manu in hunc campum defoſſus ſum.

Et ego quidem roganti parui, qui nudum è paupere domo extuli, manibus Tuis, Lætiaco ſolo obſtetricandum. Tu ſupplicem audi: & dextera tua veſtitum ad veterem parentem, nouam ſobolem, locuplete iam manu diuiteque vbere Tuo alumnatum tranſſcribe: & è tot annorum fortunatiſſimo gubernaculo peritus nauclerus in amica hæc tuis littora prudentiæ aliquot ſarcinas depone, quibus ſpiritualium rerum ſapientiæque inopiam leues, prudentiaque ſteriles campos lacteo prudenteque Bloſiano vbere & imbre fœcundes. Quod ſi ſenſero conatum hunc non diſplicuiſſe Tibi, non tuis, addam fors aliquando fœnerarium alterum, tanquam nouum imprudentiæ vrſinum partum, prudentiæ ductu Tuo,

Tuorúmque relambendum.

Multos Te annos prudenter felicitérque imperantem Diuina bonitas patriæ Ordiníſque Tui bono tueatur.



LE-

LECTORI.

INcudem cogita & cotem. exacuunt, nec acies illis vlla. ſequor has duces. imperia & prudentiam edoceo, vtriuſque ignarus. regula nimirum factus architectis. quid hac ignauius: & tamen quid hac felicius? & non infortunata ſæpè fortunãt? Quid infelicius rupibus? aurum tamen gemmaſq; tegunt. nõ & producunt? vt nobiliſsimorum metallorum matres ſaxa ſint, auro intrinſecus fœta: cùm ſinu non tantùm oſtentent, ſed & vtero claudant, foueant, ac quaſi anima donent, vberibus lactent. Iam quid rore ſterilius, quid infœcundius pluuia, ſi vtriuſque matricem nubem intuearis? & tamen quid aut rore aut pluuia fertilius, ſi terræ quam portentoſa varietate dotant, miſcueris? Et terra ipſa quid informius? immitte emortuum granum ſine fundamento ſpicæ, ſine munimento ariſtæ, ſine ſuperbia culmi, vbi ante peremerit, de fraudatrice ſeruatrix, extrudit illud copia fœneratum, ordine ſtructum, cultu munitum, & vſquequaque veſtitum, ita vt reddat

inter-

intercipit, vt cuſtodiat perdit, vt integret vitiat, vt ampliet decoquit, vberiora reſtituens quàm exterminauit, fœnore interitu. Quid? quòd ex eadem terra etiam tum virgine, & necdum opere compreſſa, necdum ſemine ſubacta, hominem figulatum videamus. conſidera è terra maſculos vt glebas, oſſa vt ſaxa, neruorum tenaces connexus vt traduces radicum, venarum ramoſos diſcurſus vt ambages riuorum, lanuginem & comam vt folia, ac medullarum in abdito theſauros vt metalla carnis. omnia in miraculum. Quid? quòd & ſteriles arenæ ſerātur, ſaxa pangantur, paludes eliquentur, & vbi noxiæ aquæ, exurgant vrbes, nemora, paſcua, horti? Intuere arbores adhuc ſtipites, ſimul de ſcrobibus oriuntur, coaduleſcunt robori ſuo donec ætas impleatur, inde mox illis & frutices inoculantur, & folia formantur, & germina inſtantur, & floſculi inornantur, & ſucci condiuntur. & omnia ex informi ligno. Intuere vites, nec exſpectata quidem ruſtica diſciplina ſine arundine & corno, quidquid contigerint ambiunt, virioſius de ſuo ingenio, quàm de hominis arbitrio. vide è quàm arido iactentur brachia, luxurientur pampini, grauidentur botri, inflentur torcularia, inebrientur penuaria. Vide & hederas nullo praeunte parietibus inuehi & ſuſpendi textili ſilua; eaſdemq; ſi de ædificio malè ſit, recedere, vt

quam-

quamdam animationem arboris de diuortio parietis intelligas: ita prouidentiſsimi frutices dum ruinã timent, refugium quærunt. Has ego arborum & fruticum prudentias cùm videam, cur non æmulus illarum paria contendam, & digito ſaltem oſtẽdam magnorum virtutes, vitia mea? non erubeſco mea, cùm amem illas. nemo diſcens erubeſcit. delineo ergo malus pictor rudi penicillo tanquam ſudibus, imitanda, fugienda. & tãquam rota argilla imperitus figulus animum fingo; ac ruſtico calamo tanquam vomere mentium proſcindo terram, è qua fructus exſpecto, pro ratione operis & curæ, varioq́; euentu varios. ac licet vniformis vbique animorum terra, fœtu tamen multiformis eſt. ſi in pingue ſolum, licet antè neglectum, incidero, ſperare magna poſſum è ſterili calamo, fertili gleba: ſi in arentem & ſcrupoſam aream, aut ſenticetis grauidam, quid ſperem ab vtraque ſterilitate? nec deſpero tamen. fòrs enim miſta hæc ſupra ſpem dominum ſuum beabunt.

Verùm quid inexpertus bellorum & hoſtium, pugnas & hoſtes narrat, caſtra metatur, tentoria figit, propugnacula deſignat, aciem inſtruit, inhortatur? quid peccat hiſtoricus, nullum licet ſanguinem dederit, nullum hauſerit? ſequor hiſtoriam. nihil impero: narro. & magnorum dicta factaq́; prælo

cre-

credidi. & animos addere pugnantibus quis vetat? etiam à mulierculis non vni olim terga vertenti creuit animus, & pudor vincere docuit, & mori fortiter. quare animos addo, & firmo pectus fortibus dictis. non quòd agnoſcam in me robora. amo tamen. quanti indocti amant litteras? ex his ineruditis vnus ego eruditionem amo. ego etiam gubernationum ignarus prudentiam qua deſtituor admiror & amo. & quod amo, calamo credidi, exuit hic frontem; nec didicerat erubeſcere atramentum. inde quod credideram commiſit chartæ, quæ ruboris neſcia, tam auidè hauſit, quàm prodigè calamus effudit. Iam qui miratur me docentem, cogitet Iethro monentem, & obaudientem Moſem, qui fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat. Exo. 18. *prudentiæ documenta à ſacerdote Madian haurit Moſes, nec pudet diſcere quod ignorabat.*

Non addam plura, ne videar diffidere benignitati tuæ. Hoc dicam. prudentis gubernationis prima capita cùm Superioribus Religioſis, alienis moribus, calamo meo enarro; omnibus narro, etiam ſæculi Principibus, & qui ad imperia, aut quamcunque purpuram vocati. quorum virtutes vitiaq́; primo maximè libro tradidi, illas in imitationem, hæc in fugam. Noluerunt hoc viri magni, ne lectorum libertatem auctoritate infringere viderentur:

ego

ego feci, in quo nulla à magnitudine vis & potentia. Et fatebor ingenuè, nec quidquam auribus dabo: Si quid hîc peccatum, meum eſt: ſi quid dictum bene, alienum eſt, meum nõ eſt, adeoq; nihil hîc dignum laude meum eſt. niſi benignior aliquis conatum in magnis, in laude ponat temeritatem fòrt aliquis obiiciet. neque hanc nego. Manet illud interim vetus, voluiſſe in magnis magnum eſt. & ferè temeritatis aliquid & maioris audẽtiæ permiſtum arduis & magnis eſt: vt nõ vereatur Ariſtoteles, nõ Seneca, magnis plurimùm ingeniis aliquid dementiæ ac furoris tribuere. Non quòd idem profitear ſed magnorum hæc tamen ſententia virorum eſt. quãquam mihi hæc, non alteri ſcripſerim, ab aliis mutuatus, de oliuæ mitis & opimæ nucleo aſper oleaſter fructificaui de alieno, & trãſtuli in hortum meum: ſed ita vt mihi hæc omnia, & mihi ſoli, mihi cecini, vt ille, mihi ſcenam ſtruxi. auditores, ſpectatores admiſi. poteram in re mea. neminem damno præter me vnum, remedia mihi ab alienis vberibus ſuxi: nemo inuideat, magis etiam ſi quid habet domi ſua natum, peregrinitate nouum, magnitudine inluſtre, medicatione fortunatum, mutuetur, & egeſtatem meam, damno ſuo nullo, emolumento meo magno, opibus ſuis leuet.

SYL-

Digitized by Google

SYLLABVS CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

CAP. I. AMor in ſuos. pag. 1.
II. Comitas & humanitas. 17
III. Modeſtia. 28
IV. Clementia. 42
V. Promptitudo in ſuorum neceſſitatibus, paratuſque in omnem horam animus. 57
VI. Veritas. 63
VII. Animi candor, in factis, in verbis. 72
VIII. Gratus in benefactores animus. 81
IX. Fides ſeruanda. 92
X. Commiſſorum ſibi fida cuſtodia. 100
XI. Liberalitas. 104
XII. Fortitudo in aduerſis. 117
XIII. Conſulto omnia agat Superior. 139
XIV. Conſtantia in rerum executione. 148
XV. Amor iuſtitiæ. 171

XVI.

Digitized by Google

xvi Temperantia. 179
xvii. Ignoratarum rerum prudens declinatio. 188
xviii. Nimia fiducia ac diffidentia vitanda. 199
xix. Nunquam tantum vni tribuat vt alios negligat. 208
xx. In omni delatione potiorem partem reo tribuat. 217
xxi. Detractores arcendi. 236
xxii. Adulationibus oſtia firmanda. 250
xxiii. Superbia fugienda. 259
xxiv. Ira moderanda. 277
xxv. Duritia & remiſſio declinanda. 286
xxvi. Annui ſumptus non facilè excedant prouentus. 304
xxvii. Fiducia in Deum. 310
xxviii. Pietas in Deum. 319

LIBRI SECVNDI.

i. Quale debeat eſſe Superioris in ſuos imperium. 346
ii. Par in omnes familiaritas. 351
iii. Sedula infirmorum cura. 355

iv. Se-

Digitized by Google

IV. Seniorum veneratio. 360
V. Religioſa in hoſpites liberalitas. 363
VI. Munificus in domeſticos animus. 369
VII. Prudens domeſticorum munerum inſtitutio. 379
VIII. Domeſticarum rerum cognitio. 391
IX. Subditorum cognitio. 402
X. Modus inferiores ad virtutem vitamq́ue religioſam per Superiorum exempla ducendi. 409
XI. Diligens aſſiduáque orationis exercitatio. 419
XII. Mortificationis ſtudium. 432
XIII. Regularum omnium ſeria obſeruatio. 435
XIV. Spiritualium conferentiarum inter domeſticos inſtitutio. 445
XV. Hebdomadaria Fratrum allocutio. 453
XVI. In ſuorum recreationibus ſpectator, non actor ſit Superior. 459
XVII. In domeſticis recreationibus iuniores Fratreſq́ue ſenioribus permiſcendi, illorum deambulationibus ſenior aliquis ſociandus. 464
XVIII. Vitiorum prauarumq́ue conſuetudinum

num mores quibus à Superiore mediis ſuperandi. 471
XIX. Conuiuiorum frequentationes vniſterſim tollendæ. 494
XX. Mulierum quocúnque prætextu familiaritates arcendæ. 500
XXI. Priuata muliebria dona nulli concedenda. 515
XXII. Temporis aliquid certi diebus ſingulis ſuæ ſuorumque conſiderationi ſibi præfigat ſuperior. 520

CEN-

CENSVRA.

Liber hic R. P. *Caroli Scribani Societatis IESV in Prouincia Flandro-Belgica, qui inſcribitur* Superior Religioſus de prudenti ac religioſa Gubernatione, *vtiliſſimus futurus eſt omnibus Religioſis Prælatis, ad feliciſſimam ſuorum gubernationem. Quod ſcripſi 27. Aprilis, anno* 1619.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis.

PRIVILEGIVM CAESAREVM.

EGo Ioannes Copperus Societatis IESV ad Rhenum Præpoſitus Prouincialis, iuxta Sacræ Cæſ. Maieſt. Priuilegium Societati noſtræ conceſſum, Michaëli Dalio Typographo Monaſterienſi facultatem concedo recudendi *Superiorem Religioſum R. P. Caroli Scribani* noſtræ Societatis Presbyteri. Fuldæ 21. Februarij, Anno 1620.

Ioannes Copperus.

Digitized by Google

CAROLI SCRIBANI
E SOCIETATE IESV
SVPERIORIS RELIGIOSI
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Amor in ſuos.

AMOR primum in imperio locum teneat, ſi fortunatum volumus, ſi æternum. certiora enim ab amore quàm à terroribus & ferro obſequia naſcuntur. illa perpetuant, hæc non vltrà quàm vis & metus. ab vtroque reuerentiam ſpera: ſed ab amore etiam in abſentem; metus, ſi abſit, contemptum pro cultu dabit. & amoris imperia patrum in filios, timoris dominorum in ſeruos ſunt in illis nullo pretio veneratio conſtat, in his emitur. miſera vene-

Digitized by Google

ratio quæ pretio paratur: neque enim tam hominem quàm præmia colet, cùm imperantis oculo & manibus, non animo obſequatur. nec locatitia hæc diu ſtare obſequia poſſunt: minùs etiam quæ metus imperauit. nam in præmijs aliquid eſt quod alliciat, quod amorem prouocet: ac quamdiu præmia tamdiu veneratio. in metu odium pro veneratione exoritur. qui ſi ſolus eſt, plus habet de belluis & tyranno, quàm de rege aut domino. quid? quòd timor animos exaſperet, & ab vltima deſperatione vomeres & ligones in enſes & ſecures vertat: ac ſi alia deſit via, per latus ſuum hoſtē feriat qui timet, qui odit. cui etiam ardere ſuaue eſt, ſi ex hoſtili corpore ſarmēta ignibus ſubijcias. Dulce nimirum odio, inimico ſanguine, hoſtilibuſq; membris pro faſcibus & lignis ardere. vt vix ſentiat dolorem ſuū qui inimicis tormentis tanquam grato odiorum cibo paſcitur. tantum odia terroribus nata valent, vt etiā in victis & ferro domitis, moneant prudentes moderatione magna vtendum, operamq; dandam vt pareant, non ſeruiant. Nihil verò certius victos continere quàm po-
ten-

tentiam mediocriter exercitam, omnium propè gentium moribus docemur. *Indulgentiùs enim imperanti meliùs paretur.* quòd ſi liberorum more haberi ſe ſenſerint, priorẽ hoſtilitatem vertẽt in amorem, & fidem etiam in abſentem integram ſeruabunt. Obſeruauit hoc Seneca: *Nullus terror, cum omnia bello arderent, fide ſocios dimouit, quia iuſto moderatorum regebantur imperio.* Ac licet imperium victis ſemper ſit graue, moderatione tamen & imperantis clementiâ aſperitas mitigatur; maximè ſi nõ ſeruorum, ſed ſociorum loco, magis etiam ſi filiorum haberi ſe ſenſerint, ſi non excludi dignitatibus, ſi æquari præmio quos virtus æquauerit, ſi nulla muneribus diſcrimina niſi à virtute. quod vbi viderint, induent filiorum naturam, exuẽt ſeruorum: amare nimirum incipient, timere deſinent. ac quamuis præſens ferè imperium ſubditis ſemper ſit graue, ſi tamẽ illud validè amore condiatur, miteſcit, nec magis iam graue eſt, quàm amantis patris in filios. Dulce nomen patris, dulce filiorum, adeóque optatum vtrorumque nomen, vt inter prima amantium filiorum vota ſit habere patrem. nulla

 be-

Digitized by Google

benigni patris vita longa fuit, cùm amori longa nulla eſſe poſſit. breuis amati vita amanti eſt. amet tantùm patrem filius, & ſupereſſe ſibi volet patrem, deque ſuis annis annos illi creſcere. tanta vis amoris eſt, vt etiam ſibi velit malè, vt amato bene ſit, gaudeatque per vulnera ſua amato imperium ſtare. dum enim in amato imperare ſe arbitratur, ſanguinem omnem ſuum vilem putat, vt ſecuro in amato potiatur imperio. Quare ſi tutum Superior imperium deſiderat, amet vt ametur: amari, niſi ipſe amet, non poteſt; odio eſſe aliquibus, licet ipſe non oderit, poteſt. At nullus amor ſine amore eſt, & audet Plinius: *Malorum Principum exitus docuit, ne à diis quidem amari niſi quos homines ament.* Iam cùm plurimis amicitijs fortuna Superioris egeat, primus conatus illius erit amicos parare, maximè ſuos, quorum virtute firmãdum imperium eſt. Amet ergo Superior ſi amari, ſi ſtare imperium volet, parentemque ſe oſtendat vt filios ſortiatur, filiorumque obſequium cum ſecuritate malit quàm ſeruorum cum pernicie. cogitet parentes conſeneſcere, liberiſque ac nepotibus

tibus hæreditatem tradere, tyrannorum & ſæuientium dominorum exſecrabilem ac breuem poteſtatem eſſe, ac ferro ferè abrumpendam. Quis enim inuiſa imperia retinuit diu? aut quæ ſceptra non natarunt ſæuientium ſanguine? & quæ vnquam poteſtas multorum odiis potuit reſiſtere? amore imperia perennant, ſubuertuntur terroribus: amore nectuntur, ſecantur metu. nulla vis amore firmata diſiunget, nullum robur terroribus denexa coniunget. hinc qui ſolo metu ſuos cõtinet, illum neceſſum eſt ſemper eſſe pauidum, cùm non ignoret, non diutius imperari poſſe, quàm qui parent volunt, cùm omnium ferro pateat. ac illas ipſas quas in terrorem oſtentat ſecures, timidus aſpiciet, ne in dominum exſurgant. Monet Tragicus:

Qui ſceptra duro ſæuus imperio regit,
Timet timentes: metus in auctorem redit.

Monet etiam Pythagoras: *Malis eos, qui tecum conuerſantur, reuereri te, quàm metuere. ſiquidem reuerentiam admiratio, timorem odium comitatur.* Philonis hîc etiam monitum, *Si vis bonus eſſe rex, cum fortitudine benignitatem ac manſue-*

tudinem ſerua, vt non formidoloſus, ſed reuerentia dignus tuis ſubditis videaris.

Et quæ tranquillitas eſſe poteſt aut animo quies, cùm in vnam ceruicem tot armentur dexteræ quot odia? docemur hoc omnium ætatum exemplis, omnium regnorum. quòd ſi ferrum abſit, non deerunt ferro deteriores molitiones, nō doli, non fraudes. aliquid ni-quid nimirum audendum eſt, vt exuant metum, excutiant iugū: & vt nihil aliud ſit, nolentibus imperare durum eſt. nam cùm imperium ex ſe ferre graue ſit, ſi accedat illubētia, ſi alienior animus, ſi odia, nullis verbis explicari ſatis grauitas poteſt.

Sed neq; felices ſperare ſucceſſus, aut fortunatos ſibi promittere exitus Superior poteſt qui ſuorū animos patitur alienos. Nam cùm per ſe ſingula obire non poſſit, ſuiſq; tutò fidere alienioribus non poſſit, quid aget cùm & fida ſuorum opera deſtituitur, & vnus omnibus non ſufficiat? aut enim omittere longè maximam neceſſariarum rerum partem debet, aut concredere alienis. ſi omittit, damna timenda ſunt. credit? negligent, aut ſcientes etiam volenteſque con-

concredita perdent, vt imperanti malè ſit. ac licet nomen ſuum in diſcrimen adducãt, ſi per illud periculum creari poſſit imperanti, millies profundent famam, vt in ſua nomen profundant imperantis. ſatis nimirum illis in vindictam cum imperante cadere, ac dulce etiam eodem præcipitio inuolui. quin vltro ſe præcipites deturbabũt, ſi implexum teneãt Superiorem quem odio proſequuntur. tanta vis odiorum eſt, quæ ferè ſæuiora imperia comitantur, & ex imperantis duritia tanquam vtero enaſcuntur.

Euitare hæc vult Superior? animos ſuorũ vincat. vincet amore, quo ſolo amica ſtant imperia nullo robore euertenda, nullo infringenda, vt ſolus amor ex inualido validũ imperium ſtatuat. Omnia enim regna è tenuiſſimis initiis nata ad eam quam videmus amplitudinem mutuo Superiorum ſubditorumque amore venerunt: omniaque eò vſque creuêre quò inter eos amor ſtetit. vbi minui ille cœpit, & pro amore odia nata ſunt, ad priorem vtilitatem deuenerunt. Quare ſi imperium Superior infractum tenere volet, amorem in ſe ſuorum prouocet.

Digitized by Google

nec magno hîc opus conatu: amet, amabitur, actioneſque omnes ſuas ita inſtituat, vt nemo illum poſſit, niſi ingratiſſimus non amare. quod non difficile Superiori erit, cui obſtringendi ſibi ſuos ingens facultas adeſt. vtetur hac prudens Superior, & ſuorum animos arctè obſtringet ſibi, quò ſe imperiumq; firmet. firmabit amore. Eſt hîc illud perpetua memoria dignum Ageſilai apud Plutarchum: rogatus qui tutò imperaret, ſatellitio nudatus, *Si ſic imperet ſuis, vt pater filiis*. hinc illud Xenophontis, *Nihil intereſſe inter Principem bonum & patrem bonum.*

In religione verò non vulgarem tritumque amorem, ſed paternum per omnia in ſuos animum induat Superior, eumq; non obſcuris indiciis prodat, maximè vbi neceſſitas quæcunque occurrerit. ac etiam cùm reprehenſione, monitione, aut acrioribus opus remedijs fuerit, meminerit ſe eſſe patrem: at acerbiora etiam remedia à paterna manu porrigantur. Verſetur proinde inter ſuos Superior vt inter filios pater: neque difficile erit inferiores filios experiri, ſi Superiorem illi ſenſerint patrem. moneat proinde

Digitized by Google

de vt pater, medicamenta ægris adhibeat vt pater, condoleat vt pater, vbique & in omnibus pater. Quin & materna induat viſcera, vberaque cogitet & filios: ęgritudo hos premit, ſiue illa corporis, ſiue animi fuerit, filios illos cogitet & ſe matrem. Quanta in filiorum malis perferunt matres! quibus non blanditiis, verborumque lenociniis medicamenta porrigunt! & primæ non rarò hauriunt, vt exemplo ſuo filios prouocent. quas denique non artes medendi excogitant! quos non labores vltrò lubenteſq; ſubeunt! non valetudini, non ſanguini parcentes, vt ſuorum valetudini conſulant. Induat hanc perſonam Superior, nec magno negotio multorum malis medebitur. nuſquam ſudoribus parcat; nunquam affectum deponat patris, nunquam matris. etiam dum punit, patrem ſe cogitet & matrem. quod ſi ſenſerit ſibique perſuaſerit inferior, nihil tam durum aſperumq; erit, nulla tam fortia monita, nihil tam acerbum, quod lubens, hilarique vultu à paterna manu non hauriat, etiam venena. quæ ſi à patre matreque propinata fuerint, ſciet antè temperata in ſalu-

 tem,

tem,nec cruda in interitum porrecta; quare etiam cum voluptate hauriet. neque imperia vlla dura cenſebuntur, quia à patre profecta. cogitat enim nil niſi in ſalutem ab illo pectore naſci poſſe: vt omnia vicerit qui ſe patrem ſuis probauerit. nam vbi ſemel opinio illa inualuit, & inferiores filiorum, Superiores patris affectum imbiberint; nihil tam arduum erit, quod ſub paterno imperio & nomine non molleſcat. fella illis mella ſunt à patris manibus, à matris vberibus propinata. Denique quid non poteſt apud filios pater, qui animo & reipſa pater eſt? reprehendat, hortetur, puniat; ſi pater eſt, peccare non poteſt pater: obſequetur filius, & à manu paterna vtramq; fortunam accipiet. tantum poteſt ſemel impreſſa opinio patris. affectum proinde illius induet Superior, ſi inferiores experiri vult filios. *Nulla eſt enim maior ad amorem inuitatio quàm præuenire amando.* Subiungit Auguſtin. de catechum. rudib. cap. 4. *Manifeſtum eſt nullam eſſe maiorem cauſam qua vel inchoatur vel augeatur amor, quã cùm amari ſe cognoſcit qui nondum amat, aut redamari ſe vel poſſe ſperat, vel iam probat qui prior amat.*

amat. Nuſquam verò clariùs hic amor elucet, neque potentiùs radios ſuos iaculatur quàm è paterno ac filiali pectore. Pater proinde ſit Superior, inferior filius; & mutuò amorem hunc iaculabuntur, inuicemq́ue ſe illius radijs accendent, & tanquam mutuis ſuppoſitis ignibus in flammas exurgent nullo aduerſantium flumine reſtinguendos.

Nam ſi domini perſonam aſſumpſerit, tanquam mercede conductos ſuos experietur, non filios, fortunæq́ue ipſius; non ipſi obſequentes. obtemperabunt nimirum in iis quæ palàm fore arbitrabuntur, dura imperia veriti; ſi clàm fore ſperabunt, negligẽt & contemnent. ſed & ſubdolis machinationibus imperij illius felicitatem euertere conabuntur. veris ſi non poſſint, obruent falſis. ſatis enim illis excuſſiſſe iugũ erit, & nouercalia à ſe imperia amouiſſe. tantum animorum alienatio poteſt. Seponit pietatem, religionem, Deum, vt optatis fruatur, ac quacunque via votis potiatur, cum Deo an ſine eo iuxtà habebit. quid? quòd in vindicta voluptatem ponat, & euertiſſe dominum, magnam felicitatis ſuæ partem

arbitretur. Et verò graue in Religione eſt dominum pati, cui tanquam patri inferior ſe ſacrauit. ignorabat domini nomen: ſciebat & inaudierat patris, & filium ſe in tutelam dederit patri, falſus eſt ſpe ſua, & experitur dominum quem ſperauerat patrem. quid proinde mirũ ſi exſurgat in iras, in indignationes & odia; è quibus quæcunque imaginari poſſunt, proſiliunt mala? è copioſo nimirum fertilique malorum fonte, torrentes, flumina, adeoque & maria naſcuntur, Religionem fluctibus ſuis abſumptura.

Miſerrima ſanè conditio dominum in Religione pati. duram enim inferiores ſeruiunt ſeruitutem ſub hoc nomine. nam in ſæculo dominum ac regem pati nil magnũ, vbi extra aulam ingens libertatis campus eſt, &, vt reliqua abſint, vicina patent regna, nec deerunt quæ exulem excipiant, quæ ſinu ſuo foueant, quæ foris etiam venienti gratulentur, & prærogatiuis donent. Et vt regem quis dominumque patiatur inamœnum, moroſum, tenacem, inclementem, ad ſuſpiciones facilem, ad excuſationes difficilem, ad præmia remiſſum, prõptum ad pœnas,

Digitized by Google

nas, ſæuum ad tormenta, immitem ad veniam, ad detractationes auidum, ad laudes ſurdum, in ſententia pertinacem, flectique neſcium, compati ac miſereri ignarum: domus tamen ſua cuique ſacra & templum eſt, libertatis aſylum, complorationis tutamen, ſecuritatis portus, ac poſt ſæuam quamcunque iactationem littus tutiſſimum, fidaque ſtatio. In hac benignè caſta virum excipiet vxor, abblandientur filij; & ęgrum ſolabuntur patrem, venerabuntur ſerui, domus denique tota mœrorem leuabit, mollietque dolorem: amici etiam ſi non publicè, priuatim conſiliis aderunt, iacentem excitabunt, labantem erigent. At dominum in religione pati, deſpoticaque in quamcunque te vertas partem imperia, durum & graue; infortunatiſſimaque illorum qui patiuntur conditio eſt: cùm eodem tecto, eodemque contubernio vti cogantur, omni libertate excluſi. dolere palàm nō licet, priuatim vix tutum eſt, cùm priuata etiã ſuſpiria lacrymæque ſine teſte non fluant; fruſtraq; ſolatia exſpectet qui in perpetuis domini ac iudicis ſui oculis verſetur. Et quis in illius vul-

tu ſoletur mœrentem? quis animos addat paria metuēs? quis afflictum eriget, proſtratumq́ue leuabit deteriora timens? quis ſecurus querelas excipiet, medicamenta ſpondebit, conſilia ſuggeret, cùm à ſolo domino ac iudice medicina ſperanda ſit? à domino verò & iudice quid exſpectes? quam benignitatem ab illius ore? quam māſuetudinem à iudice? non miteſcunt animi ſemper-iudicis: indureſcunt, vix molleſcunt ſemper-domini, callumq́ue imperio obducunt. Pater ſit, non dominus, à cuius benigna manu fauum & mella ſperes, non vrticas aut fella timeas: à cuius dextera roſas, non ſpinas carpas: pater ſit, è cuius poculo nectar & ambroſiam, non toxica bibas: à quo mœroribus ſpongiam, nō nouaculā exſpectes: pater ſit, à cuius ore roſæ & violæ, non venena afflentur. Hoc enim eſt Superiorē in religione eſſe patrem, non dominum aut regem eſſe: vt infeliciſſima planè viuendi ratio ſit dominum perpetuò præſentem intueri, deſpotico illius imperio ſub eodem tecto premi, ſuſpicionibus, moroſitatibus, faſtidio, ſordidâ parcimoniâ, querimoniis, delationibus, iur-

iurgiis, inclementiâ: qui nec compati ſciat, nec condolere didicerit, non labores benignitate metiri, non animare deiectos, non erigere depreſſos, non mederi ſuorum malis, ſemper & vbique nauſeabundo ſimilis; à quo nulla gratuita munera, cùm nec promerita ſperanda ſint; nulla niſi duri iudicis monita; nulla poſt labores, ſudorem tergentes ſpongiæ, dona; nulla poſt fortia facta, ſparſumque ſanguinem præconia; nulla ad ardua obeunda incitamenta, nullaque benefactorum præmia, quies nulla, laxamenta nulla: perpetuus rigor, triſtior vultus, moroſa verba, acerba monita, omnium denique diſplicentia ac diffidentia: & apud quem ſemel offendiſſe, æternum eſt. nullæ nimirum ſemel conceptæ ponuntur indignationes, nulla mitigantur odia, nullæ molleſcunt animorum alienationes. adeò ſemel imbibiſſe: ſemper eſt; & è nudis plerumque ſuſpicionibus ſemel hauſiſſe, perpetuum eſt: vt remedia à ſola mutatione loci aut Superioris admonitione ſperanda ſint.

Sanè ſi ſe cogitaret Superior, ſi aliorum in ſe imperia, ſi qualem imperare ſibi vellet,

do-

dominum an patrem; ſi demum in omni ſuo imperio aliorum in ſe imperia perpenderet, qualia nimirum hæc optaret; quibus à Superioribus haberi modis, quibus impelli, excitari, præueniri, leniri; non difficulter exutâ domini perſonâ, ad veri ſe patris componeret; omnemq́ue benigniſſimi clementiſſimiq́ue parentis affectum indueret, vel illâ ſolâ cogitatiōne: Quales in te Superiores voles, talem te tuis exhibe: qualemq́ue te tuis exhibueris, tales in te alios ſperes.

In omni proinde gubernatione in paternum ſemper affectum, benigniorem q́ue partem ſe flectet Superior, memor nobiliſſimi moniti D. Bonauenturæ de 6. alis, c. 7. *Ad benignitatis partem plus declinet, per quam reddatur ſubditis magis amabilis, ob quam ei libentius obtemperent, & audacius ad eum recurrant in quibus indigent, & alacrius eum imitentur. Ipſa enim poteſtatis auctoritas facit eum ſatis timendum ſubditis, & ſi huic iungitur auſteritatis ſeueritas, pauidis fit mentibus oneroſus. Vos autem cum auſteritate imperabitis eis, & cum potentia, & diſperſæ ſunt oues meæ, dicit Dominus Ezech. 34. & , Noli eſſe quaſi leo in domo tua ſubuertē; domeſticos tuos,*

&

& opprimens ſubiectos tibi, Eccleſ. 4. Hinc eſt quòd ipſe ſummus Princeps Paſtorum Dominus Ieſus, tantam nobis benignitatis caritatem exhibuerit, vt ſe nobis faceret amabilem,& ita imitabilem, & per amorem ſuæ humanitatis traheret ad amorem & cognitionem ſuæ diuinitatis, paternum in omnibus effundens pectus, vberaque porrigens veræ matris.

CAPVT II.

Comitas & Humanitas.

PARVÆ hę res in imperio videntur. magnæ ſunt. his enim ſi careat Superiòr, in ſuperbiæ, ſeueritatis, adeoque & crudelitatis ſuſpicionem venit. hinc vt gratius nihil ſubditis euenire ſolet, quàm ſi per humanas facileſque ad preces Superiorum aures nacti fuerint; ita nihil durius moroſo illorum difficilique aditu euenire conſueuit: vt comitas immortalem non vni gloriam, moroſitas odium immortale pepererit. Eſt in hàc re illud Traiani: *Imperatorem priuatis eſſe opor-*

oportere, qualẽ priuatos ſibi optat habere. dicam, Superiorem inferioribus talem eſſe oportere, qualem ipſe inferior Superiorem in ſe eſſe deſiderat; comem, benignum, & humanæ conditionis memorem, memoremque ſui, votorumq́; ſuorum ante imperium. humaniſſimos imperantes optabat; expleat olim ſua, nunc ſuorum vota. mœrebat ad triſtem vultum, moroſaq́; verba; blandis mœrorem detergat ſuorum. indolebat ad ſeueritatem; deponat illam, factuſque ex ſe magiſter, talẽ ſe præbeat quales ſperabat. Habemus magni affectus in ſuos magna in magno Scipione, documenta; cum diceret, *malle ſe vnum ciuem ſeruare, quã mille hoſtes occidere.* quæ vox maiorem illũ ſuis quàm in Hannibale Carthago & Africa deuicta dedit. cuius quantò fuit humanior, tantò Vitellij immanior, & ſupra quidquid vnquam efferum barbarumque terra tulit, *Bene olere occiſi hoſtis cadauer, melius ciuis.* veniſſe hæc ab Imperatore Romano quis credat? quin & ab homine? vt nõ miremur extrema ſuorum odia tuliſſe Vitellium. Regnare proinde qui diu ſaluus volet, amari velit. æternant amoris imperia, cadunt timoris. bene Seneca: *Cal-*

Calcat iacentem vulgus——Inuiſum opprimet.
Decet timeri Cæſarem.——At plus diligi.
Metuant neceſſum eſt.——Quidquid exprimitur graue eſt.

quin metus omnis exurgit in odia; hæc in ſanguinem. nec præſidium aliud firmius amore eſt. nam illæ quæ circumſtant haſtæ, & ſecures, ſæpiùs in Principem ſæuierunt, ſed non ante quàm odiſſe inciperēt & metuere, & quàm amare deſierant. non inſurrexiſſent, ſi amaſſent. timuerunt; timor odia peperit, odium in ſanguinem impulit. iacent tot Romana tot orbe toto ſceptra infelici purpura natantia. ſtrauerūt odia timore nata. nil crudelius timore cùm induit odium, nullaque implacabilior ſitis metu excitatâ, nullo reſtinguitur ſanguine. vt ſemper ſtolidiſſimi oris & capitis illud crediderim, *Oderint dū metuant*. nihil enim odio prōptius ſanguine. ludus illi ferrū, venena, ſecures. Sed ni metuat cōtemnet. erras, & dictum bene, *Malè terrore veneratio acquiritur*, *longeq́; valentior amor ad obtinēdum quæ voles quàm timor.* nam & amori ſua veneratio, ſuus metus, ſed filij in parentem: nam ille mancipiorum & ſubditorum

in

in tyrannos, ferè ſanguine clauditur. Et ſanè cùm multorum amorem, Principum fortuna in tutelam deſideret, prima Principis cura erit amicos parare. parabit comitas. de qua illud Ambroſij eſt: *Summa benignitate opus eſt, vt non tantùm publica ſtet gubernatio, ſed etiam priuata iura tueamur. plurimùm iuuat beneuolentia, quæ omnes ſtudet beneficiis complecti, deuincire officiis, oppignerare gratia.* dictum prudenter in vita Dionis: *Nullum eſt imperium tutum, niſi beneuolentia munitum.* Iam quid iucundius in humanis eſt quàm amari? hunc ſuorum in ſe amorem humanitate & beneuolentia prouocabit. nec difficile hoc Principi eſt, cui ingens obſtringendi ſuos ac in amorem impellendi adeſt facultas. eſt in hanc rem illud poëtæ: ——*Hoc reges habent*

Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere.

Ingens imperantium prærogatiua, poſſe benefacere, poſſe beneficijs tanquam compedibus ſtringere. dulcia amoris vincula, ſuaues nexus quibus illigantur animi. Si negata benefaciendi poteſtas, nulli negata comitas

mitas, nulli humanitas eſt.& inter non infima beneficij genera numeratur, humana in Superiore compellatio. nemo ad hanc pauper eſt.tantamque vim habet illa, vt gratior apud pleroſque ſit benignis negata res verbis, quàm conceſſa moroſis. inornata ſanè & naufraga dedit, quicunque dona ſua triſtibus & mœrentibus tanquam ſpinis induit, vt iam non magis agnoſcat beneficium qui accepit, quàm cui tenue ac exſangue ſaccarum ingenti abſinthio permiſtum propinatur. ſuauitatem amaritudo tollit, dùm tanto felle mella integuntur; beneficij nomen & memoriam largientis moroſitas tanquam ſpongia deleuit; omnem illius ſuauitatem permiſta amaritudo deterſit. vt plus in moroſo dono maleficij quàm beneficij agnoſcat. cùm nuda interim comitas pro beneficio ſit: & benigna negatio comibus veſtita verbis, diuiteque pro re nata ſponſione, pro fœcundo munere habeatur. Etiam in Deo locum habet, qui tenuia pauperis dona locuplete comitate ac benignitate grauida, moroſis diuitum muneribus præfert. hilarem enim datorem diligit Deus, & benignas

pau-

BIBLIO[TECA NAZ.] ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

pauperum manus centupla fœneratione replet, ſpernit auguſta diuitum donaria mœrente dextera porrecta. neque enim donorum præſtantiam è rebus, ſed ab erogantis magnitudine metitur. infelix alioqui futura pauperis conditio, beata diuitis. animo ergo metienda dona ſunt: cùm hæc ab illo magnitudinem, non animus à donis mutuetur. hunc ferè animum largientis comitas & benignitas teſtantur.

Scio magni referre cui nationi imperes. varium enim imperium variarum gentium mores depoſcunt. Effuſam quãdam benignitatem ac quaſi prodigam quædam deſiderant, ac tunc maximè regem agnoſcunt cùm priuati perſonam induit, ac ad omnia familiaritatis officia deſcendit. Retractiorem alij volunt, & benignitatem maturitate temperatam, vt nunquam ad ciuicam, minùs ad plebeiam ſe dimittat, ſed neque ad aulicam, quæ in ſocios magis quàm in imperium fertur. Grauitatem alij amant, ac Perſicam quandam maieſtatem. contemnent hi ſi ad intima admittas, ſi benigniùs compellas, ſi quaſi amici perſonam mutueris. nec venerabun-

buntur niſi perrarò & auguſtæ maieſtatis oſtentatione prodeuntem, niſi paucis multa complectentem, niſi plura prementē quàm dicentem, niſi lentiùs loquentem quàm euntem, niſi denique plus de ſtatua quàm de homine promittentem. Sunt qui nec Principis admittunt vultum: quem cùm deorum numero habeant, tanquam è nube reſponſa reddentem venerabundi exſpectant. qui ſi prodeat, aliquid de diuinitate dimiſiſſe arbitrantur, quare & ipſi aliquid de cultu remittunt. per interpretem etiam hi magis quàm per ipſum Principem reſponſa pręſtolantur. quod cùm quàm maximè ad diuinitatem accedere ſibi perſuadeant, gaudent interpretum hoc famulatu.

Prudens ergo Superior pro ſubditorum conditione maiorem minoremq́ue comitatem induet, & benignitatem morib. ſuorum temperabit. quãquam non eadem Superiorum in Religione quàm extra illam ratio ſit. aliquid tamen etiam in Religione moribus largiendum; vt peccet in omnem prudentis imperij regulam, qui omnes ad eadem vocet, ſanè Apoſtolus omnibus omnia ſe

fa-

factum proclamat; omnium nimirum mores imitatus, vt omnes lucrifaceret, Iudæus Iudæis, Græcus Græcis, Romanis Romanus, omnibus omnia. Imitabitur hunc Superior, neque mores ſuos, gentiſque ſuæ, in omnes transferet: omniũ in ſe potiùs traducet. nam vt omnium in ſuos vertat, nequidquam ſperet. Iam ſi conciliari concreditos ſibi velit mores, imitetur. nulla potentior certiorq́ue conciliandi ratio morum ſimilitudine. illis ergo ſe induat, ne contempſiſſe videatur, & è contemptu odium incurrat: ita tamen ne quid illaudatum aut à virtute alienum aſſumat, néue quod meritam reprehenſionem mereatur.

Magna hîc opus prudentia, variaq; circumſpectione: negare non poſſum. nam & benignitas familiaritaſque in quibuſdam contemptum, amorem in alijs prouocabit: maturitas grauitaſque in his venerationem, in alijs odium conciliabit: maieſtatis ſeuera quædam oſtentatio diuinum in his, in alijs verò barbarum faſtum redolet: denique amari quidam volunt & beneuolentia duci, cogi volunt alij, illi ſe filios, hi ſeruos cogitant.

Digitized by Google

;itant. vtrorumque diſcrimen Superioris. ericula docebunt. primi, ſi ferrum hoſtis trinxerit, latus opponent, eo lætiores quo iliorum loco haberi ſe ſciunt, eo fortiùs quo fortiùs amant. lætum amanti pro ama- o mori, filio pro patre. Secundi ſi antè ſte- erint, ſubtrahent ſe ferro, obijcient Supe- iorem. ſerui erãt, ne mireris. ſola in his præ- nia valent, quæ vbi ſubduxeris, dominum gnorant. præmiorum ergo magnitudine cùm omnia metiantur, nihil amori dabunt. accedãt pericula, abſint præmia, fides nulla eſt. Patris proinde perſonam induet Supe- rior, ſi ſuos habere velit filios; ſed pro varia tamen gente, benignioris aut maturioris pa- tris; ſemper tamẽ patris, nunquam domini, nunquam regis; niſi fortè ſubditi dominum & regem poſcant. quod vbi acciderit, non nudum ſe dominum & regem, ſed dominũ & regem & patrem ſuis præbeat: vt dum do- minum & regem experiuntur metuuntque, ſentiant amentque patrem.

Quòd ſi in ſuæ gentis & linguæ homines imperium delatum fuerit, minoribus impli- cita difficultatib. gubernatio erit. vbi enim

ingenium, mores, indoles imperãti reſpon-
dent, nõ magno reliqua momento ſequen-
tur, noſſe & noſci facilem imperiis viam ſter-
nit. Ad alienæ gentis imperium vocaris? ma-
gnâ vbiq; opus cautione, ac præprouida in
omnem partem circumſpectione, vigilique
cura eſt; multaque primis maximè imperij
initijs indulgenda, vt obſequi diſcant & im-
peria ferre. ferent, ſi amauerint; amabunt, ſi
amari ſe ſenſerint. hunc amorem beneuo-
lentia, comitate, munificentia ac indulgen-
tia parabit. cauebit tamen ne nimia indul-
gentia imperij frena laxentur; ne prodiga
liberalitate, opes imperij neruum effundat;
ne effuſiore comitate venerationem proſti-
tuat. laudabit etiam non rarò conquiſitis ra-
tionibus gentem cui præeſt. nunquam vni-
uerſam damnabit, contemnet nunquam. i-
gnorat obſequia contemptus. à nimijs etiam
popularium ſuorum laudibus abſtinebit,
nec componet gentem genti. quòd ſi quæ
gentis ſuæ mentio iniecta fuerit, ac aliorum
ore laudes; temperabit illas, eorũ verò qui-
bus præeſt, variè pro re nata extollet. expli-
cet deinde palàm omnes fiduciæ campos, vt
cùm

cùm illam ſubditi ſenſerint, parem in Superiorem profundant. in quam rem publica priuataque munia, non gentis ſuæ hominibus, ſed quibus imperat, largietur, ne pro fiducia diffidentiam, odiumque pro amore paret. In qua re primam ſummamque virtutis rationem habebit, vt cùm viderint virtuti aditum ad magna patere, conatum ſtudiumq; omne in illam transferant. ita tamen fiduciam expandet, vt non omnibus omnia conſilia retegat, nec pectus nudet omnibus, ne nimius candor contemptum pro veneratione pariat. ſed vbi ſuorum ſerius obſeruator mores didicerit, deliget fiducia ſua dignos, quibus tutò ſe, ſua, imperijq; ſui credere poſſit; ac hos, non niſi variè exercitos, quique fidem non vna in re probauerint: quos paulatim ad maiora ità promouebit, vt frena ſemper imperij manu ipſe teneat, nec gubernaculi ſui clauũ committat alteri; ne imperare incipiat qui ſubeſſe debebat. Et ſanè ſemper non immeritò nimia ſubditi alicuius potentia ſuſpecta imperantib. fuit: aut enim ſceptra circumſpexit aut ruinam: idq; magis etiam in gente externa, in qua domeſtici

Digitized by Google

alicuius opes viam ferè imperio aperiunt. moderabitur proinde has Superior; nec imperij ſui vires vni concedet, nec regni ſui robora vni credet, nec opes & ærariũ in vnius manu ſtatuet, ne nimia in vnum indulgentia reliquorum odia accendat, & animos ad noua audenda ſuggerat. neſcit parêre elata potentia, non magis quàm ſceptra ſeruire. certiùs verò par multorum gratia & potentia, quàm vnius ſupra reliquos, imperium firmat. multos proinde gloria, opibus, viribus, gratia, potentia pares, quàm vnum ſibi, imperioque paret Superior, vt ſecuras noctes ſecurioribus diebus iungat. & vt nihil aliud, amari à multis quàm ab vno malit. optimum fuerit ſi amor eat in omnes, vt ab omnibus eat in vnum. hæc vna demum certa imperandi ratio eſt, omnes vt filios amare, vt ab omnibus vt pater ametur: omnibuſq; vt filijs imperare, vt ab omnibus tanquam patri obſequia deferantur.

CAPVT III.

Modeſtia.

Lau-

LAudatus Auguſtus, qui noctu vrbem ingreſſus, ne obuiam ire parantibus moleſtiam pareret. Eadem propè in Veſpaſiano, Tito, Germanico habes. Fuit hoc etiam in Auguſto magnum, cùm ſtatuam ſibi erigi vetuit. imitatus Nerua eſt, & ante hos Africanus & Atticus, eò laudatiore exemplo, quò in magnis etiam viris rarior. fuit & illud magnum cùm ad domini nomen erubeſceret Auguſtus, ad laudes ſuas Timoleon, Dionyſio Sicilia pulſo clarus. æmulus Auguſti de modeſtia Antoninus regium & domini nomen repulit: regium etiam nomen in Hiſpania Africanus, victoria contẽtus, oblatum diadema maioribus animis repulit quàm obtulerant; ne exemplo præiret, ne reipublicę libertatem infringeret, maluit Romanus quàm rex audire. laudatiſſimos dein ab omni modeſtia Alphonſum Aragonium, & Maximilianum primũ accepimus. vultu verò & moribus priuatorum morem expreſſiſſe, Germanicũ, Veſpaſianum, Traianum tradunt, vt amicos in illis aut patres, perrarò Cęſares videres. ita cùm eſſent, videri nolebant. Quis Chriſtianorum imitetur?

etiam priuati ſupra fortunam ſæpè & genus extollimur, & audire iuuat quod nõ ſumus. ignoramus ſutores ſutore patre nati:aut ſi fateri cogamur patrem,auũ & atauum, neſcio qua barbara Principũ domo,audaci conatu eruimus,maximè ſi qua nominũ ſimilitudo. Aliud docemur in Agathocle,qui figulinis poculis onerari mẽſam voluit, quo teſtatius foret figulo patre natum. non erubuit ad figuli nomen qui virtute ſceptra promeritus, virtute tenebat. nihil illius imperio pocula detraxerunt,modeſtiæ addiderunt. Et ſanè quis neſciat maius eſſe ſuâ quã alienâ virtute magnum eſſe,poſteriſq; claritatem ſceptraq; paraſſe ac dediſſe quàm accepiſſe? nam quid magnum eſt alienis nobis manibus opes, alienâ induſtriâ, ſudoribus, ſanguine honores acceſſiſſe? ſuo paraſſe fors magnum: alieno hæc robore veniſſe,felicitatis eſſe poteſt, virtutis eſſe non poteſt: non magis quàm aliena veſte & domo laudari. Et quis à prudentia bellicaque peritia laudandum putet, qui alienis auſpicijs, conſilio, ductu, abſens victoriam ex hoſte retulit? felicitatẽ laudare poſſumus, virtutẽ non poſſumus. Iam ſi quis

regum delicijs ac mollibus aſſuetus, in ignauo vitam otio inglorius tranſigat, dandi capiendique conſilij ignarus, regnum tamen regno aliena manu & prudētia adiiciat, quis prudentiam illius animoſque laudet? fortunatum dicere poſſumus, nec aliud. quid? ſi aliorum mortibus dormiēti creſcant regna, quis ſapientiæ tribuat? felicitati, ſapientiæ non poſſumus. Quo magis modeſtiam verbis, vultu, moribus præferet, quiſquis alieno magis conſilio quàm ſuo gaudet; quiſquis maiorum virtute, ſapientia, robore, non ſuo magnus eſt; quiſquis nobilitatem à fortibus maiorum factis, non à ſuis hauſit. accepit illam, non parauit, nō auxit generoſa nobilique factorum ſerie. quid ſi parauerit? modeſtiam tamen colet, & amicam ſinu fouebit. nihil illi huius fotu decedet, accedet gloriæ: nihil decreſcet, accreſcet nobilitati. neque enim quidquam oreq; calamoq; laudatum magis, quàm in ſumma amplitudine, potentia, eruditione, modeſtiſſimū eſſe poſſe, nec vti, rarę virtutis eſt. nō cadit hoc in tyrannū, non in ſuperbum. moderatū verò in potentia eſſe, nec decurrere ad illam, niſi neceſſitas cogat, magnum.

 Iam

Iam qui ſceptra benignitate temperat, vt plus referant patris quàm iudicis, plùs amici quàm domini, omniũ ore magnus. rara purpuræ & modeſtiæ ſociatio, quo laudabilior. qui verò eruditionem prudentiamque per depreſſa vallium, non per prærupta montiũ deducat, vt plus ſemper pulueris quàm pręcipitiorum & diſcriminum trahat, plus verrat quàm ſublimiores auſus referat, beatus. Vis magnus eſſe, vis haberi? nunquam magnitudinem oſtende; tege. Si oſtentaueris, erunt qui deprimentːſi depreſſeris, erunt qui oſtentent. profers? tegent alij. tegis? retegent alij. eo potentiùs, quo tu ſtudioſiùs: eoque certiùs, quo auguſtius eſt omnium manibus educi quàm tuis. habent hoc magna, vt quo plùs velaueris, apertiùs prodãtur. habet virtus, vt quo fortiùs depreſſeris, validiùs exurgat. Hinc ſi ſpreueris tua, laudabunt alij. laudas? contemnent. ab alieno, non à tuo ore laudem ſperà. extulit te fortuna? deprime: perget efferre. ſi extuleris, deprimet. additus honos, & ſupra maiorum ſoccos virtus aut fauor te euexit? nihil depone de veteri modeſtia: aliquid etiam adde, vt explicatior ſit

bene-

beneuolentia. ne verere, nihil decedet, accedet etiam aliquid opinionis magnæ. nec vltronea deiectio ibit in contemptum; ibit in laudem. cùm modeſtiæ in magna fortuna admiratio laudem prouocet; ſuccedit veneratio, tantoque maior cultus, quanto venerationis fuga maior. ſequitur illa fugientem, vt quo quis in ampliore fortuna ſubmiſſior ac negligentior ſui, hoc aliorum auguſtiùs manibus & ore tollatur. depreſſa nimirum ſurgunt, erecta corruunt. ita ſemper modeſtię erectio, ſuperbiæ comes depreſſio eſt. laus illam, damnatio hanc comitatur. illius atria denſantur ſalutantium gregibus, hæc ſolitudine mœret: familiaritatem illius ambiunt plurimi, huius contubernia vitant. tanta prærogatiua modeſtiæ eſt. amorem hæc omnium, odium ſuperbia prouocat, etiam in purpura & diademate. nam vt ſceptra veneremur, & diuinum illis aliquid ineſſe fateamur, modeſtia tamen niſi illa veſtiat, inornata arbitramur; & metuimus, non amamus amari volunt? amorem modeſtia dabit. timeri contenta ſunt? diſcant infelici multorum exitu, firmiùs amore, quàm timorib.

 im-

imperia ſtare. ſed & ſua amori veneratio eſt, validior illâ quam metu natam videmus.

Quo vehementiùs Superiori Religioſo in omnem modeſtiam incumbendum, cùm vitę genus quod profitetur, omnis modeſtię regula quædam ac profeſſio ſit. quod eo magis adnitendum, quo in aliorum ſalute deſudandum illi eſt. Sanè Apoſtolus cùm *omnibus omnia factus* eſt, *vt omnes lucrifaceret*; ad omnium ſe vitam etiam infimorũ abijciebat, ne terreret Apoſtolatus maieſtate quos allicere conabatur. Ineſt quædam morum ſimilitudini perſuadendi facilitas, ſuſpecta diſſimilitudo eſt, maximè cùm nimis longo inter ſe interuallo diſſident. Solet enim plebeis in primis animis, nominis claritudo, morum maturitas, orationis grauitas, eruditionis oſtentatio plus timoris ac diffidẽtiæ quàm fiduciæ ac ſequelæ ingenerare. Hinc potentiſſimus ille ad perſuadendum, cui nulla potẽtiæ, roboris, ſolertiæ præiudicia aditũ claudunt. Faciles enim in paribus aures damus. vbi auguſta quædam inſonuerũt, contrà armamur, metus in arma vocat: & vera licet denuncientur, timidi animum adiicimus.

ſem-

ſemper enim potentiæ vim ſubeſſe arbitramur. alienis autem mētibus & ſuſpicione timoreque natantibus, perſuadere quæ paras, difficillimum. Et Deus ipſe, cùm maieſtate terreret, humana maieſtatē carne induit, vt animos adderet. quid? quòd famulare venerit ne dominatu terreret. plus verò famulatu quàm ſerpētibus, ignibus, fulminibus, tonitru potuiſſe in ſequelam. nos & Iſraël docemus. amor famulatum ſecutus. fulmina terror: ille ſemel impreſſus ſtetit, hic cum minis delapſus. quàm diu enim terroris cauſſa, tam diu ſequela. remoue illū, oppugnabunt qui ſequebantur. amor cùm obſederit viſcera, ſuo non alieno impulſu ſequetur. nihil mirum. externus timor, internus ſuaſor amor eſt. illius imperia cogunt, huius ſuadent. & volūtate ſua ſequitur qui amat, aliena qui timet. quare non vltra metum ſequela eſt. illū tolle, hanc ſuſtuleris. eadē nimirum ſpongia vtrūq;. Nec contentus aſſimilari carne Deus aut famulari, ad infimos quoſq;, ad plebeiā ferè turbā ſe deiecit, etiā ad mulieres & pueros. Apoſtolos ſanè piſcatores legimus, vt verū fuerit illud Pau. 1. Cor. 1. *Non multi ſapiētes*

ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mūdi & contemptibilia elegit Deus, vt ea quæ nō ſunt, deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. & inter hos piſcatores minimum ſe fatetur Gētium Doctor 1. Cor. 15. *Nouiſſimè tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. ego enim ſum mininus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus,* cuius ſunt: Phil. 2. *Implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem caritatem habentes, vnanimes, idipſum ſentiētes, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. hoc enim ſentite in vobis quod in Chriſto Ieſu qui cum in forma Dei eſſet, non rapinā arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuētus vt homo.* Et alibi. Col. 3. *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatē, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donauit*

vo-

vobis, ita & vos. De Moyſe verò habes apud eundẽ. Hæb. 11. *Negauit ſe eſſe filiũ filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam tẽporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti.* Iam qui veſtibus, qui frontibus ſternebant viam triumphatori Chriſto de plebe erant. Lu. 19. *Cœperunt omnes turbæ diſcipulorum, gaudentes laudare Deum voce magna dicẽtes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, gloria in excelſis.* & paſſi ſunt eodem Euangeliſta teſte Phariſæos oblocutores. Audiamus ipſum Dominum: Luc. 10. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcõdiſti hæc à ſapiẽtibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Piſcatores ergo à Domino in Euangelij denũtiationem delecti, viliſſima mundi, parui, egentes, & qui exemplo illius omnium ſerui, etiam fortuna ſerui, aut ſi quando illa diuites, voluntate ſerui, bonorumq́; cum Moyſe abdicatione ſerui; quò maiore facilitate, minore moleſtia, omnibus omnia fierent, omniq́; inſoleſcentis fortunæ materia nudati, liberiùs ſe in omnes omnium famuli effunderent, Chriſti ſui exemplo: Mar.

10. qui *non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret*, quò plus de modeſtia promitteret, plus de famulatu obſequij ſponderet, minuſque terroris, plus amoris adferret.

Imitabitur Moyſem, Apoſtolum, omniumque Dominum Superior Religioſus. vultus illi, oculi, frons, omnia denique ad benignitatem & modeſtiam compoſita: etiã veſtis & menſa. ne quid ſit quod meritò offendat. erubeſcet vinci à Syracuſano Dione, à Traiano Religioſus, quibus nihil ſupra priuatam menſam & veſté. oratio verò tota nihil elatum, moroſum, aſperum, durũ. nullus acerbior iocus, non immoderatior riſus. maturam lenitatem & ad modeſtię quendã numerum compoſitam loquentur omnia. quo plus ei apud ſuos fiduciæ, quia plus comitatis; plus amoris, quia plus benignitatis; plus venerationis, quia plus modeſtiæ; plus laboris, quia plus remunerationis; plus obſequij, admirationis, laudis, quia plus humanitatis & beneuolentiæ; plus ad imperata promptitudinis, quia plus affectus; plus ad monita ſubmiſſionis & alacritatis, quia plus benigni patris quàm domini. Neq; enim res vlla potentiùs ſubditos ad amorẽ & venera-

tionem, ad laudem & nominis tuitionẽ, ad prona in omnẽ partem obſequia & fiduciã, ad magnos in arduis, lætos in triſtibus, fortes in aduerſis, modeſtos in ſecũdis animos prouocabit. audet enim inferior in moderati modeſtiq; Superioris conſpectum venire, audet pectorib. clauſos recludere morbos, audet explicare nocitura, audet periculorũ dãnorumq; ſeriẽ depromere, audet in illius tãquã benigniſſimi patris ſinũ quidquid altiùs reconditum profundere, audet ad illius tanquã indulgentiſſimæ matris vbera; quacunq; preſſus ſiti & fame decurrere: cùm in modeſtiæ cultore nullus faſtus cõgreſsũ arceat, nulla moroſior maieſtas terreat, nulla immititas horrorẽ incutiat, nulla auguſtior cõpoſitio verecundiã prouocet, nulla ſolitudo ingenuam libertatem adimat, nullus ſuorum contemptus odia accẽdat, nulli doli dolos excitent, nullæ inſidię in fraudẽ impellant. & ſequentur etiam per modeſtiæ ſemitam, Superiorem præeuntem inferiores. iuuat, nimirum illi ſimillimum eſſe, filios parenti, & benigni modeſtiq; patris veſtigia legere. Ita fit, vt domus vniuerſa modeſtiæ

qui

quidam portus ſit, adnauigantibus poſt immanes ſæculi fluctus gratiſſimus. atq; hinc fructus illi magni è proximorum ſalute ſperati vberrimè exurgunt. neque enim ad hos ſiue fœcundo ſemine ſpargendos, ſiue centupla redhibitione metendos, ſiue Dominicis horreis recondendos, aptiores vlli, quàm quos in modeſtiæ arena Superioris exempla in omnem moderationem figularunt. Neque virtus alia aut ad alliciendum, aut ad perſuadendum, aut ad imitandum plus roboris adfert. modeſtiæ enim contubernia amamus, amabimus; monenti aures animumq́ue faciles commodamus, ſequimurq́ue lubentes amoris inuitamenta, illiuſq́ue vinculis volentes innectimur, cùm nec vim niſi amicam, nec fraudem niſi in ſalutem ab illius manibus vereamur. quid? quod ipſa muta etiã in religioſo modeſtia, vultu, oculis, veſtitu, inceſſu, magnam ad perſuadendum, ad imitandum longe maximam vim habeat, vt ſola non raro ſuffecerit ad ſequelam. Et ſanè viri etiam magni, huius vnius inuitatu, ſæculo renuntiantes, Religioni ſe ſuaq́ue ſacrarunt, cum ſibi perſuaſiſ-

ſuaſiſſent, ſub tanta membrorum omnium ſerenitate ac compoſitione, non poſſe non ſummam animorum ſerenitatem ac tranquillitatẽ deliteſcere. imitari placuit quod delectabat. Quòd ſi externæ huic modeſtię oratio reſponderit, incredibile eſt quantam vim habeat ad explicandos peccatorum laqueos, ſcelerum nexus, mundi retia, voluptatum compedes, inferorũ vincula; quantam ad excutienda carnis pruritamẽta, auidamque bonorum ac auri ſitim, illiceſque mundi illecebras. Iam ad odia reſtinguenda, ad conceptas animo fraudes ponendas, ad ſubdolas perfidarum molitionum machinationes in meliora conſilia commutandas, ad alienationes in amorem, neglectum in venerationem, contemptum in laudem, æmulationem in obſeruantiam vertendam, quantum vna modeſtia poſſit, facilius experimur quam exprimimus. vt licet plurima deſint, generis amplitudo, eruditio, forma, dicendi vis & gratia, orationis robur, ingenij magnitudo, dignitas, oris quædam maieſtas; ſola non raro vultus ſerenitas, membrorumque omnium, totiuſque

Digitized by Google

queꝗ hominis quædam quaſi malacia, ac internæ compoſitionis index modeſtia, vna ad omnes animorum fluctus tranquillandos ſatis cenſeri debeat. eoque magis, quo maior illam potentia, eruditio, dignitas comitantur. quod vbi fit, nihil ad quod voles perſuadendum validius reperiri poteſt. admirationem enim in magna dignatione ac potentia, maior modeſtia prouocat. & amare incipimus quod admiramur. ſequi etiã, ac licet aſſequi deſperemus, imitamur tamẽ, faciles in monita & ſequelam, cùm amor præceſſerit modeſtia natus.

CAPVT IV.

Clementia.

QVÆ tutum ſecurumque reddit imperium. cuius firmitas ab vnanimi ſubditorum obſequio pendet. Eſt in hanc rem illud Theopompi, cùm per reges imperãdi gnaros Lacedæmones ſtare quidam dixiſſet; *Imo*, reddidit, *per ciues Principibus obtemperare doctos*. neq; enim ſuſtinent parere ijs qui

qui neſciunt præeſſe. ſiquidem efficit qui bene ducit, vt bene ſequaris. peritiſſima ductrix clementia eſt. neque res alia potentius ducit. Hinc illud Alexandri Seueri Imperatoris matri obijcienti quòd molitie ac lenitate imperij poteſtatem fregiſſet, *Securiorem ac diuturniorem reddidi*. Benè Græcus: *Tutiſſimam regum cuſtodiam, non turribus, propugnaculis, mœnibus, ſatellitibus, aut armis contineri, ſed amicorum præſidio, ciuium beneuolentia, propriaq́ue virtute. quibus quidem opibus, regna & imperia non modò ſeruari, verum etiam in dies augeri ac propagari*. Benè Seneca: *Melius beneficijs imperium cuſtoditur quàm armis*. Et alibi: *Non opus eſt conſtruere in altum editas arces, nec in aſcenſum ardua collis munire, nec latera montium abſcindere, multiplicibus ſe muris turribuſq́ue ſepire. ſaluum regem in aperto clementia præſtabit; vnum eſt inexpugnabile munimentum, amor ciuium.* hinc illud Comici.

Errat longè mea quidem ſententia,
Qui imperium credat grauius aut ſtabilius,
Vi quod ſit, quã illud quod amicitia adiungitur.

Et illud: ——*Peragit tranquilla poteſtas.*
Quod violenta nequit, mandataq́ue fortius vrget

Impe-

Digitized by Google

Imperioſa quies.

Illud etiam: *Qui benignitate ac clementia imperium temperauêre, his candida & læta omnia fuiſſe: etiam hoſtes æquiores quàm aliàs ciues.* Fuit verò verum hoc ſemper:

Violenta nemo imperia continuit diu,
Moderata durant.

Nec conſeruando tantum, ſed parando imperio clementiâ valet: qua propè vna Cæſar Gallias Romanis aperuit, Scipiones Hiſpaniam. Sanè Romani non tam armis quàm lenitate in victos, orbem propè terrarum imperio ſubdiderunt. contrà Roboam inclemẽtia conſilia ſecutus, maxima imperij parte exutus fuit. & nimis funeſta crudelium Principum morte clementiam docemur. Caligula, Nero, Domitianus, Commodus, pluréſque infauſtæ crudelitatis victimæ iacent poſteris exemplum; cùm, ſi vernaculas omnium gentium hiſtorias conſulamus, regumque in iis exitus, plures à ſuis quàm ab hoſte interemptos reperiemus. vt rogatus Thales quid difficilè vidiſſet, bene reſponderit, *Tyrannum ſenem.* Bene in hanc ſententiã Salluſtius ad Cæſar.

Equidem

Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba quàm diuturna arbitror, neque quemquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido tendat. ea in vitam bellum æternum ac anceps gerere. quoniam neque aduerſus, neque à tergo aut lateribus tutus ſis, ſemper in metu aut periculo agites, ad omnium propè occurſum ac ſuſpiciones pauidus. nec ante finem terroribus quàm vitæ facis. quid? quòd nec ſanguine quidem extinguantur odia, tam altè animo inſident, vt antè ferrum quàm animum flexeris: antè illud dextramq́; ſanguine quàm mentem delaſſaueris. nec publica tantum, quantum priuata ſæuit manus. non ſatiantur odia morte vnâ. rediuiuum vellent vt ſæuire ſæpiùs poſſint. ita inuiſa nemo imperia retinuit diu: crudelia omnia inuiſa ſunt. Scio tritũ illud: *nõ mouere bella mortuos.* at quã funeſtorum Pompeij mors ciuilium bellorum cauſſa, quantorum Cæſaris fuit; cùm Romano ſanguine orbis maderet, victorq́ue populus regna cadaueribus integret, laſſatiq́ue fluuij ſedibus pellerentur, pluſq́; non vno loco Romani ſanguinis quàm aquæ flueret? & non Gallia poſt Aurelianam

Ludo-

Digitized by Google

Ludouici Ducis cædem, ſexaginta annis ciuilium bellorum flammis exarſit? Nunquam odio moritur crudelitas. nam aut execrabilis, aut breuis eſt: & dum ſecura ſibi videtur, præcipitio proxima eſt: nulla illam temporum longinquitas delet, nulla à vindicta liberat. parcent aliqui metu retrahente manum: inuenientur qui vitam contemnent ſuam. nullum caruit exemplo nefas; & vna aliam crudelitas parit. nec crudele iã videtur crudelem ſanguinem fudiſſe, adeoque litaſſe crudelitati cenſetur, qui crudelẽ ſuſtulit. tam altum innatum vnicuique odium crudelitatis eſt, vt innoxia mente & manu videatur crudelis cadere.

Verum non debuit, non potuit priuata manus. quid debuiſſe quæris? ſatis odio potuiſſe eſt. & non factum omni propè ſæculo & gente eſt; quo magis fugienda, quæ tot dexteras in vnam animat & armat. neque enim ſatis eſt dixiſſe. Non licet, impia manus eſt quæ crudelitatem crudelitate vindicat: tot iacent infelices victimæ, cum vna aliam crudelitas protruderet, & prouocaret in ſãguinem ſanguis. Declinabit ſanguineos hos ſcopu-

ſcopulos prudens Superior, & ad clementiæ littora gubernacula & vela diriget. fecerunt Romani, omneſque vrbicas plebeias ſeditiones ſeceſſioneſque vna clementia reſtrinxerunt; tantas flammas modica aqua. cùm fatuum ſenatus putaret, furentibus immane popularib. procellis, Reipublicæ nauem obiicere, antè ſorbendam quàm tingẽdam; ceſſit his fluctibus, & per æqua, per iniqua, littora tenuit. Et quis prudens popularibus tempeſtatibus caput obiiciet? quis fatuo, quis ebrio? quis mari, quis fluminibus aggeribus perruptis? ſęuior popularis ira eſt, vbi verecundiam poſuit. ſola illam lenitas franget. quis ignem ignibus extinguat? aquã admoue, & viceris. quis ſaxum ſaxo opponit? alterius aut vtriuſque interitum exſpectes. oppone puluillum; deſinet ſæuire.

Iam quoties in Germania, Gallia, Hiſpania, è nouis vectigalibus, tanquam ſæuum furentibus Aquilonibus, plebeiæ exortæ tempeſtates, tantùm non florentiſſima orbis regna euerterunt? ſublata vectigalia, irarum fluctuumque cauſſa, & ingens tẽpeſtatẽ malacia ſecuta eſt. Et quid refert quibus

aduerſarium modis vincas? viciſſe ſatis eſt. oſculo potes? quid ſtringis ferrũ, terror fors repellẽdum? quid arma armis prouocas? nõ fortuna belli ſemper ancipiti loco eſt? & non ab imbelli ſæpè dextera & inaſſueta pugnæ, valentiſſimus cadit? à Dauide Goliath, armatus à funda. quin & muliebri manu iacet Abimelech, Holofernes, Siſara, militiæ duces. Et quid ſanguinem cogitas ſanguine reſtinguendum, & illo ſolo? iam vt ferro viceris, vt hoſtem ſtraueris, manent iræ & odia: ſi non in cadauere; in propinquis, in amicis, in aſſeclis, in æmulis: qui nũquam victori defuerunt, de quibus, *Multa illis manus ſunt, tibi vna ceruix*. & nimis verum hic illud: *Vt arbores quædam reciſæ pullulant, ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. pœna* proinde, ex eodem calamo, *ad paucos, metus ad multos perueniat.* ita *fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu.* ſic Valens Imperator Batauos tumultuantes *animaduerſione paucorum* in officio tenuit. & tritum illud Taciti eſt: *Amorem apud populares, metum apud hoſtes quæramus.*

Scio arma aliquando armis propulſanda,

da, vim vi repellendam, ferrum ferro. Verùm non niſi coactus ad hæc deſcendet vir prudens: nunquam aut perrarò Superior. clementiâ vincet. nec hîc opus magno molimine. quin & de iure ſuo aliquid concedet; multum etiam interdum. vbi pacauerit, etiam iniqua conceſſione, facilè in viam aberrantes reducet, quos beneficijs vicerit. Certè nihil facilius quàm volentibus imperare. habebit tales qui ſuorum ſibi beneuolentiam ac amorem parauerit. parabit clementiâ. obſequentes ergo ſuos ſi volet Superior, & ad imperia promptos, hilares etiã ad illa, & in arduis lætos; morúm lenitate ac clementiâ faciet. cuius cùm moderata imperia ſint, & ab amore profecta, quis dubitabit morem gerere, & vltronea volentiaq; ſubmittere colla amoris iugo, clementiæ manibus conſito? Nihil verò difficilius quã reluctantibus imperare; neſcit odium parêre. amet neceſſium qui obſequitur. nam ſi à metu ſæuitia extorto obſequia naſcentur, non nomini, non ſanguini, vbi ſe occaſio dederit, parcent. Dictum verè: *Tam multis periculis peteris, quàm multis ipſe periculum es.* & il-

C lud:

lud: *Armis vallatur tyrannus, vt magno timoꝛ magna compeſcat odia. nec tamen illas ipſas manus, quibus ſe commiſit, ſecurus aſpicit.* & vt ad extrema hæc non deſcendant, ſubtrahent ſe qua poſſunt effero dominatui. ſi negata hæc via, exaſperante ſe odio, ipſos imperij cardines conuellent, ruderibus ruiniſque inſepeliendi; & gloriæ ſuæ partem reputabunt, ſi cum Eleazaro belluâ, cum Samſone hoſtibus integantur. non didicerunt odia parcere, didicerunt ſæuire. ſed neque cognatum, aut vnius vteri norũt ſanguinem; cæca ſunt: diſcrimina neſciunt. quocunque eos rapit furor, ſequuntur. niſi quòd ferè magis in conſuanguineo ac domini ſanguine ſæuiunt: maior enim ignis ab hac materia exurgit. quo nimirum tardior, eo validior & immanior flamma. ita viridantium lignorum lentior, ſed efferatior ignis eſt. Verum illud: *Quem quiſque odit, perijſſe expetit.* honeſti ac cognationis poſtrema cura, prima odij. Diuertet hæc Superior clementiæ manibus. quæ vna virtus cœlo proxima eſt, permiſtumque diuini aliquid habet, cuius munere videmus Deum totius genituræ tributa di-

gnis

Digitized by Google

gnis ſimul ac indignis largiri, iuſtiſque æquè ac iniuſtis partiri. Non ſum immemor Regij Proph. Pſ. 100. *Miſericordiã & iuſtitiam cantabo tibi Domine.* & Pſ. 81. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi.* ſed additur: Pro. 20. *Roboratur clementia thronus eius.* vt diſcas firmamentum throni eſſe clemētiam, qua roborantur ſceptra & diademata. Miſcenda tamen clementiæ iuſtitia eſt, vt *neq;*, Greg. teſte, *aſperitate exulcerentur ſubditi, neq; nimia benignitate ſoluantur. ſit amor ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus ſed non immoderatè ſeuerus, ſit pietas ſed non pluſquam expediat parcens.* & Auguſtino: *Miſericordia ſola ſi fuerit, ſecuritatem facit peccandi ſubditis: ſi diſciplina ſemper aderit, vertit animum delinquentis in deſperationem.* Bene in hac re Seneca: *Pœnam, ſi tutò potes, donabis; ſin minùs, temperabis.* Quid? quòd audeat Liuia Auguſto, de ſicario: *Deprehenſus eſt: iam nocere tibi non prodeſt, prodeſſe famæ tuæ poteſt. parce. nihil glorioſius eſt Principe impunè læſo.* iam Titus, quàm chriſtianè, cùm patricios duos coniurationis conuictos monuit, deſiſterent? Antonius ſanè Auidij Caſſij liberis, vxori, genero veniam dedit. eadem propè in

Traiano reperies. Nobile illud Sigiſmundi: *Inimicum occido dum parco, & amicum facio dum extollo*, Et Cæſarum maximus, detectas coniurationes non vltrà arguit, quàm vt edicto oſtenderet, ſibi notas. huius etiam imperio deiectæ Pompeij ſtatuæ reſtitutæ, literæ in ſcriniis repertæ igni traditæ. poterat in his cognoſcere conſpiratores, noluit. tantum apud hoſtem potuit commiſſorum etiam in hoſte cuſtodia & fiducia. Gratũ illud etiam Veſpaſiani, qui hoſtis ſui Vitellij filiam matrimonio iunxit & dotauit; & illud Dionis, qui Heraclidem hoſtem dignitati à qua exciderat reſtituit. Inter memorandos Ageſilaus Lacedæmonius eſt, quem accepimus occultos hoſtes ad honores prouexiſſe, periclitantes propugnaſſe, egentes locupletaſſe. nec minor Veſpaſianus, qui monitus vt ab inſidijs Metij caueret, Conſulem fecit. *Erit* inquit, *memor aliquando tanti beneficij*. & Auguſtus, cuius ante memini, poſt Liuiæ monita: *Ego iudico plus clementiam quàm ſæuitiam proficere. Nam miſericordes non ij tantum, quibus delicti gratia facta eſt, caros habent, ac gratiam referre ſtudent, ſed reliqui etiam omnes reuerentur ac*

colunt.

colunt. At qui ira inexorabili vtuntur, non modò odio eos habent ij qui metuunt ſibi, ſed cæteri quoq; inſidiis ſtructis, ſuam perniciem euitare ſtatuunt. Hoſtibus ignouit, Cornelio inſidiatori conſulatum dedit. eſt illud eiuſdem: *Vtinam tibi, Cinna, iterum do, priùs hoſti, nunc inſidiatori, & parricidæ. hodierno die amicitia inter nos incipiat. contendamus, vtrùm ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas.* Dignum etiam memoria illud Rudolphi Imperatoris: *Seuerum & immitem fuiſſe me aliquando pœnituit; lenem ac placabilem, nunquam.* & illud Alphonſi Aragonum: *Malo multos mea clementia & manſuetudine ſeruare, quàm paucos mea ſententia perdere.* Temperanda ergo clementiâ iuſtitia eſt, ſed ita vt primas ſibi vindicet clementia. melius enim ſanare vitioſas partes eſt quàm exſecare. ſe cogitet Superior & Deum. qualem hũc in ſe volet, talem ſe prębeat ſuis. quoties meritiſſima iudicis ſententia feriendus ad patris decurrit dexteram, & inclamat cum Proph. Pſal. 81. *Quoniam tu Domine ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ*? quoties pœnas promeritus, facilem in veniam Dominum experitur? quàm frequenter patrem, quàm raró iudi-

Digitized by Google

cem? quàm lentum rarumq́ue in vindi-
ctam; quàm paratum celeremq́ue ad ignoſ-
cendum? Et ſanè ſi quoties labimur, cùm *ſe-
pties in die cadat iuſtus*, toties ad pœnas decur-
reret Deus, ad quæ non vltimæ deſperatio-
nis littora volueremur? aut quis ſalutem ſpe-
rare audeat, ſi ad omne delictum ruant ful-
mina? vt taceam mœroribus, lentaq́ue ferè
tabe contabeſcere ſolere, quotquot duriore
tenentur imperio; neque vnquam ad ma-
gna dexteram extendere, ſed in ignauo plu-
rimùm otio ingloriam vitam ducere, terro-
ribus plenam. Repletur exinde domus no-
citturis ſuſpicionibus, nec quidquam ſatis
tutum. metu natant omnia, & dum perpe-
tuus rigor obuerſatur animo, tam altè odia
mixta doloribus imbibuntur, vt non niſi
cum vita ponantur; videaſq́ue familiam v-
niuerſam tanquam ſub ſecuri & fune; non
ſociis, nō parietibus, nec ſibi ſatis fidentem.
nulla ſub hoc capite animorum cōiunctio.
non coaleſcunt membra ſub ſeuero vertice:
neque enim ab illo amica diffluunt vincula
quibus nectantur, diffluunt quibus dene-
ctantur. quare nec amica inter domeſticos
erunt

erunt colloquia, quia non tuta. nullius frõs ad hilaritatem compoſita; omnium ad mœrorem. ſi quid dicendum, circumſpiciunt ſingula, & medias ferè narrationes occidũt. ita, dum penduli ſemper hærent, nunquam animum profundunt, claudunt cẽtum clauibus. vt iam pro candore ſimulatio irrepat, ſecluſa religioſa ſimplicitate. exulat inde veritas, ſuccedunt doli, ſæuaq́, Religionis peſtis detractio latè omnia complet: quæ non viuo, non mortuo parcit. Cecinit in hanc rem non ineleganter Homerus:

Quiſquis inhumanis ſtudet inteſtabilis vti
Moribus, huic omnes viuo clam dira precantur,
Huic omnes credunt fas inſultare perempto,
Sincerum vitæ contrà culpaq́; carentem
Tantus inũbrat honos, vt famã nominis amplã
Quilibet extremas paßim ferat hoſpes in oras.

maiorq́ue etiam laus manet mortuum. ſemper enim clementia admiratores, laudatores habuit. Hinc illud magni ſemper Caroli Quinti, apud Algeriam verò clementia in ſuos maximi, nulla tam ingrata delebit, omnis laudabit poſteritas: *malle ſe vnum Chriſtianum ſeruare, quàm mille Mauros, mille Turcas,*

totidemq; Pœnos perdere. Patris fuerunt hæc in filios, non domini in ſeruos, ſupra Herculei freti terminos, vtrumque orbem clementiæ ac benignitatis in ſuos, non moritura fama, complexura: Stabunt hæc orbe ſtante, ac decinerato etiam orbe, cælo viuent, omni æternitati commenſuranda. Quid faciet Superior Religioſus? perdet ſæuitiâ, quem ſeruare clementiâ poterat? obijciet ferocia cõcreditum ſibi pignus hoſti? aut propellet rigoribus quem lenitate allicere poterat? aut denique ad omnia vulnera, ad ferrum decurret & ignẽ, cùm mitioribus mederi poſſet? non ſunt hæc patris, non medici, non Chriſtiani, non hominis. vult imperare cum laude, in alta pace, ſuorum beneuolentia, externorum gratulatione, Religionis bono? vult in cinere & vrna viuere, etiam apud eos quibus nec de capillo notus? ita iuſtitiã clementiæ, lenitatem rigoribus permiſceat; vt plus ſemper imperia clementiæ quàm iuſtitiæ, lenitatis quàm rigoris referant. certiùs à clementia ſtant regna, maximè in Religione, quæ poſt ſæculorum maria primorum quorumcunque mortibus funeſtata, benig-

nitatis

nitatis ac manſuetudinis portus eſt. Et verò duriſſimum eſt poſt maris ſæuitiã, fluctuumque iactationem ad lenitatis & amoris in Religione littora eiectum, in portu periclitari. nec quiſquam niſi barbarus naufragos ferociùs habet; hoſpitio magis donat, & ſi aliud negatum, verbis ſolatur. imitabitur Superior Religioſus, fortunatiſſimoſq; naufragos ſuos, ſola eiectione felices, cælorum portui deſtinatos. quãta poteſt benignitate excipiet, tuebitur, fouebit, memor conditionis ſuę, conditionis humanę, memor Dei. nec pudebit Religioſum, audire monentem Senecam, pudebit vinci.

Quiſquis eſt placidè potens
Animoq; parcit, longa permenſus diu
Felicis æui ſpatia, vel cælum petit.

Eſt hinc illud Cicer. pro Q. Ligar. *Homines nulla re propius accedunt ad deos, quàm ſalutem hominibus dando.*

CAPVT V.

Promptitudo in ſuorum neceſſitatibus, paratuſq; in omnem horam animus.

 Lau-

LAudauit hanc in Q. fratre Cicero: *Facillimos eſſe aditus ad te, patêre aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac ſolitudinem, non modò vllo populari acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem tua, & cubiculo eſſe excluſam.* Secutus eſt Traianus, de quo Plinius: *Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora; audiuntur ſtatim, dimittuntur ſtatim.* Sequantur quotquot in Religione Superiores, quotquot extra. commendatum etiam in Gratiano ab Auſonio: *Laudabile Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione cauſari.* Quo in genere laudatiſſimi iam olim Miltiades, Artaxerxes Cyri frater, Ageſilaus Lacedæmonius, Cęſ. Auguſtus, Titus, Hadrianus, M. Antoninus Pius, Conſtantinus. Veſpaſianum etiam è morbo decumbentem legatos admiſiſſe, audiſſe, accepimus. quo magis Superior Religioſus omni prorſus hora paratus erit ſuorum neceſſitatibus audiendis: nullũ illi tempus importunum, omniaque adeò ſuis quocunq; momento oſtia patebunt patrem ſe cogitabit ac matrem, quorum oſtia reſerata filijs; quorum neceſſitatibus pectus ac vbera pateant: nec patrem tan-

tantùm, ſed & paſtorem, vt ſuper commiſſo ſibi grege inuigilet; & vel vno aberrante, nemora luſtret, tranſcendat montes. ſuorum proinde ſaluti ſeriò incumbat, primamque curæ ſuæ partem ſuos ſtatuat; cogitetq; non tantùm ſe charitatis, ſed & iuſtitiæ legibus teneri. occupationes illum aliæ detinent? ſeponat illas in filiorum neceſſitate. externorum illum ſalus prouocat? filiorum incumbat, ſi deſtituenda auxilio pars altera eſt. etiã noctibus paratus ſit, ſi qua nocturna neceſſitas ingruat. nullus enim illi ſomnus filiorum neceſſitatibus mollior gratiorque eſſe debet; nullus cibus potuſque deſideratior. Dici non poteſt quantum promptus paratuſq; in omnem horam Superioris animus, inferiorum animos conciliet, & ad ardua quæque prouocet & inhortetur. Bene in hanc rem Bonauentura: *Subditi facilem acceſſum ad eum habeant, fiducialiter ei loqui de quibus indigent audeant, & patienter eos audiat, benignè eis ſatisfaciat, ſtudiosè inſtruat, alacriter exhortetur. ſtudeat magis amari quàm timeri, quia libentiùs obeditur illi qui diligitur, quàm qui timetur.*

Ingentia deinde mala leui momento præcaueri hac Superioris in omnem horam promptitudine poſſunt. quæ ſi moram dederit, nulla poſtmodum arte medeatur. quid? quòd graui aliqua tentatione preſſus inferior, vno non raró Superioris verbo firmari poſſit. ſi negata aut dilata oportunitas fuerit, corruet fors miſer, latamque in omnem ætatem ruinam dabit, viamque ad grauiora ſternet, quibus paulatim obdureſcat animus: & qui ante primum lapſum, virginali quadam verecundia flecti facilis, ad delicti nomen expalleſcebat, poſt frequentata crimina à conſuetudine audaciam mutuatus, ferrum & ignem depoſcit, qui leuiſſimo curari medicamento poterat. tantum in vtramque partem valet Superioris ad omnem congreſſum comitas & facilitas; aut eiuſdem moroſitas ac difficultas. nimirum quod in medica arte vſu venire videmus, vt à momento ſæpiùs pendeat ſalus; vt tempori monuiſſe ac veniſſe, curaſſe; moram traxiſſe, peremiſſe ſit: idem in animi morbis reperias. Imitabitur proinde medicos Superior, properabit monitus, pericula veritus. Imita-

tabitur etiam milites, qui ad tubæ ſignum, torporem ſomnumque excutiunt, cùm in vna celeritate nobiliſſimas ſæpè victorias, ac regnorum excidia poſita eſſe ſciant. Cogitabit eadem Superior, & aduolabit ad inferioris preces tanquam ad ſalutis teſſeram: incertuſque magnitudinis ac periculorum, in perpetua ſtatione verſabitur; nulla non hora promptus paratuſquè, deteriora timens: prudens enim etiam tuta metuet, maximè in re ſalutis. nunquam obfuit metus: nũquam profuit præſumptio. ſperabit meliora vbi ægritudinem intellexerit; antè metuet. & grauitatis ignarus non priùs timorem deponet, quàm edoctus de magnitudine mali fuerit. edoceri verò ab inferiore, & qui malũ patitur, debet: nudis ſi inſiſtat coniecturis ſuis, meritò non ſemel repreheſioni patebit. faciles proinde aures præbebit, & gaudebit etiã bene merendi de filio occaſionem dari. neque enim potius vero patri quidquam filiorum ſalute eſſe debet.

Quid? quòd promptitudo paratuſque in ſuos animus diuinam in Superiorum neceſſitatibus promptitudinem excitet; vt quæ

illi in ſuos, ea in ſe Dei experiantur facilitatem in auxilio ferendo, malis auertendis, pectore roborando, labentes erigendo, oppreſſos eripiendo, mœrentes ſolando, languentes firmando. verum enim illud Gregorij eſt, Paſt. p. 2. c. 5. *Tanto faciliùs à ſua eripitur, quanto miſericordiùs ex aliena tentatione fatigatur.*

Denique paratus hic Superioris in omnem partem animus, ingentem inferiorum animis fiduciam amoremq́; ingenerat. neq; quidquam in his abditum, nihil retectum, quod damna afferre poſſit. deuomuntur à quacunque manu hauſta venena, & in parati Superioris tanquam patris matriſq́; ſinum nocitura deponuntur, quò faciliùs medica admoueri manus poſſit. naſcitur deinde quædam in Superiore fiducia. vna enim alteram prouocat: & fidere incipit qui fiduciã in ſe inferioris promptitudine animi ſui illectam experitur. quæ res in omni felici gubernatione cumprimis vtilis & neceſſaria eſt. Sciebat hoc Rudolphus Imperator, Auſtriacæ domus illuſtre decus, à cuius congreſſu cum purpurati tenuiores arcerent, dignam ſuo

ſ10 genere vocem edidit: *Sinite homines ad me venire, neque ideò Imperator ſum vt arculâ includar.* digniſſima vox magno Imperatore, magis etiam Auſtriaco ore & pectore. Non erubeſcat Superior Religioſus Imperatorem imitari: erubeſcat ab Imperatore humanitate, benignitate, modeſtiâ vinci.

CAPVT VI.

Veritas.

CVM imperium iuſtitia viduatum diu ſtare nequeat, illius autem munus ſit neminem fallere; perfacilè videas, quo ore deceat eſſe Superiorem. hinc illud Sapientis Prou. 17. *Non decet Principem labium mendax.* Et Prou. 12. *Abominatio Domino labia mendacia, qui autem fideliter agent, placebunt ei.* Planè dedecet Principem, non labium tantùm mendax, ſed & oculus, vultus, manus. ſunt enim & his ſua mendacia. nec minùs muta manus, elinguis calamus, quàm os mentitur: nec minor in illis fraus & dolus. Fugiet proinde hæc Superior, monente Sapiente Prouerbiorum 13. *Verbum mendax iuſtus deteſtabitur.*

Digitized by Google

eo magis quòd abominatio Domino ſint labia mẽdacia: cuius illa ſunt Sa. 1. *Os quod mẽtitur, occidit animã.* Et Pr. 8. *Os bilingue deteſtor*; mendax, nimirũ & in cuius labris dolus habitat, fallacia ſedẽ figit. retia expandit mendax, & decipula factus eſt amico. quo potentiùs deteſtatur illum ſumma Veritas, vt veritatis hoſtem. quanto ergo primæ Veritati coniunctior Superior, tanto magis mendacium omne deteſtari debet: vt non minus à mendacio quàm à periurio abeſſe illum deceat.

Et ſanè ſi propiùs rem conſideremus, licet prima ſpecie ſimulata conſilia verbaque læta, tractu tamen dura, euentu verò triſtia, & in domini caput caſura reperiemus; cùm ferè ſuis impoſtor omnis irretitus teneatur laqueis, ipſaſque fraudes ſuas quibus famulantibus ad deſtinata peruenit, vereatur. nec iniuria. ex his. n. quid poſſint, didicit. quid? quòd ſemel detectis dolis (neq. ſemper celari poſſunt) omni in poſterũ fide excidat, occaſionemq; alijs præbeat paria audendi. ita dolus dolum prouocat, & ſimplicia ingenia inaſſueta fraudibus, ſi illas patiuntur, ad

ca-

Digitized by Google

eadem recurrunt, vt venena venenis pellāt. vt vel hoc in primis nomine fugiendum Superiori vitium ſit, cùm fortunata infortunataque gubernatio opinionibus plurimùm ſubditorum ſtet. Quare ſi fide apud ſuos careat, reliquis omnibus neceſſum eſt illum excidere. & quis ſe ſuaque credet mendaci? quis vulnera illi morboſque reteget? quis fidem adhibebit vera dicenti? habet enim hoc omnis mendacijs aſſuetus, vt nec ſi vera dicat, fidem inueniat. ab eodem enim ore vera falſaque cùm proficiſcantur, eandem cenſuram merentur. maximè cùm videamus mendacijs aſſuetos, tot non veris circumſtantijs veras narrationes veſtire, vt plus ſemper falſitatis quàm veri habeant. muliebre planè ac plebeium vitium, aut eorum qui virtute deſtituti, per ſcelera viam ſibi ad magna ſtruunt. quorum eſt aliud clauſum pectore, aliud lingua promptum, vultumq; magis quàm ingenium bonum habere. caſti hîc oculi? corda libidine natant. frons ſerena? ſanguinem animus ſitit. vultus hilaritatem mentitur, cùm mens mœroribus fluctuet. oris tranquillitas decumanos pectoris

flu-

fluctus regit. vna hæc ambitio facit. quæ dũ experiri omnia ſuadet, mortalium plurimos falſos fieri ſubigit. veritas nimirum aditum ad cogitata obſtruxit: inuenienda ratio eſt. virtus non potuit? ſcelera aperient viam. quibus improbum illud extremis ſemper natat labris: *Quid intereſt quibus modis parauerim? habuiſſe ſatis eſt.* ne quære modos, rem teneo. quaqua via, perueniſſe beatum eſt. negabat virtus, carere durum erat. ſcelera dederunt. non potui innoxia mente, ore, manibus. noxia dederunt. quid refert qua via, integra an damnata fama, per innocentem ſanguinem an ſine illo, per alienas fortunas an proprias, per conuicia, calumnias, obtrectationes an verbera, aperta hoſtilitate an per inſidias? ſatis eſt viciſſe. ad quæ rapit arrogantia & habendi ſitis! Et quid ſperari ab his poteſt niſi vetus illud & verum, *nullam potentiam ſcelere quæſitam cuiquam fuiſſe diuturnam*, aut quemquam imperium flagitio acquiſitum, bonis artibus exercuiſſe? Admoueat conatum omnem, circumſpectet prouidus ſingula, prudenter inſtructa, aliena fraus diſcutiet, aut ſcelere ſuo inferior corruet.

Digitized by Google

ruet. & quæ callidè deſtinata, feliciter occupata, dolo ſuo cadent. ſemper enim dolus quantamcunque fortunam nactus, pauidus ſtetit, virtuti diffidens; & dum fraudulenta alia ex alijs cõſilia nectit, laqueos ſibi ſtruit, retia induit. nam licet difficile non ſit fraudes contexere, difficile tamen eſt ijſdem artibus parta tueri. expeditiùs enim manus noſtræ rapiunt, quàm contineant. nec magni moliminis eſt fortunam ſibi dolis malis parare; magnum ſeruare eſt: cùm citatiore ferè quàm aduolarat curſu fugiat facilis in amplexum, facilior in fugam. & quamuis aſpirare & annuere dolis videatur, nunquam tamen ſimpliciter indulget; ſed dolum plerumque dolo premit & ferit.

At imperium adepto quid timendum eſt? ne contemne tuos. hoſtes habes. nil tutò in hoſte deſpicitur; quem ſi ſpreueris, valentiorem negligentia effeceris. & quid magnum fraude parta, fraude euertere? præſens neceſſitas conſilia ſuggerit, & qui ſe ſpretum videt, dolo an virtute hoſtẽ ſternat, pro eodem habet. hoc certum, nihil tam firmum eſſe, cui periculum nõ ſit etiam ab inualido.

ita

ita leo aliquando minimarum auium pabulum fuit; & exigua ſcintilla contempta, inter magnam vrbem & nullam, vix horam conceſſit. non ſpernet ergo ſuos, maximè ſi dolis imperium parauit Superior. faciliùs euertuntur quàm parantur regna: vnaque fraus euertet, quod multæ pepererunt. Sed neque ſi virtute conſecutus eſt, fraude tuebitur. eadem virtus ſeruabit quæ dedit. nec ſapit virum dolus, vt meritò inclamet Homericus Achilles:

Odi etenim ceu clauſtra Erebi, quicunque loquuntur
Ore aliud, tacitoque aliud ſub pectore voluunt.

Hinc damnati Romanis Martius & Attilius, quòd Macedonum regem mendacio circumueniſſent; laudatuſque Traianus Plinio, quòd quæ vellet velle, quæ nollet nolle ſcirent omnes: damnati alij. *Quod*, ait, *tam infidum mare, quàm blanditia Principum illorum, quibus quanta lenitas, tanta fraus, vt facilius eſſet iratos quàm propitios habere.* Fortiter verò Iſocrates regem monet, *vt veritatem manifeſtò ac apertè colat, vt iniurato illi potius quàm iurato alteri credatur.* Quod potiore longè iure Religioſo conuenit, in cuius ore mendacium

Prin-

Principum periurio deterius haberi debet. & quò illi mendacium? fallere vult? indigniſſimus nomine ſuo eſt, falli digniſſimus. parare dolis vult quod virtute non poteſt? dolis ludi dignus eſt. inſidias ſtruit? meretur. dignitates ambit? pręcipitia metuat. imperiũ cogitat? tutius, imperium pati eſt. præeſſe dignius? certius, ſubeſſe eſt. cõmoda adfert? ſed tantis inſperſa incommodis, vt tanto felle tam modica mella emi non debeant.

Quod ſi deinde ſuorum in ſe fiduciam amoremque excitare Superior velit, nulla propè re alia valentiùs prouocabit, quàm ſi facta verbis reſpondere viderint; nullaq́; re certiùs firmabit imperium: quod inferiorum amore fiduciaque ſolidatur. Nec falli poteſt qui dixit Prou. 12. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum:* mẽdacij verò corruet, domumq́; totam mutua implebit diffidentia, detractionibus, dolis, euerſionibus mutuis.

Nec priuatis parietibus malum hoc claudetur. neſcit os bilingue labiis ſuis moderari: qua perfidia in domeſticos, eadem in externos erit, cum ingenti religioſi nominis de-

dedecoratione quòd ſi adnexa veritati præmia conſiderauerimus, ſi mendacio damna, nullo negotio ad amplectendam illam flectemur. Elegāter Regius Prop. Pſ. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.* De mendacio verò habemus ab eodem ore: Pſ. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et illud Eccli. 20. *Potior fur quàm aſsiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hereditabunt, mores hominum mendacium ſine honore: & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſsione.* Fugiet proinde mendacem Superior, & domo etiam ſi poteſt, familiaritate verò ſemper excludet: ne aut probare videatur, aut imitari aſſueſcat. maximè cùm vix reperiri quiſquã poſſit, à quo maiora familiæ damna timeri debeant. nam quid agat Superior obſeſſus illo cui perpetua fraus doluſq; in ore natat? arma enim aperta palàm vites. fraus & dolus occulta, eoque ineuitabilia. & aduerſum hoſtem viro forti opprimere haud difficile eſt. occulta pericula quæ prudentia vitabit? aut quem non fallet mens tecta in aperta fron-

fronte, oculi blandientes toxico venenati, labra ridentia ſanguine grauida? & quid credere, quid fidere Superior poteſt mendaciis aſſueto, cùm fraus indiuidua mendacij comes ſit, indiſſociando illi nexu ſociata? exulante verò fide & fiducia quid ſperari poteſt; quid non meritò timeri?

Iam cùm mendacijs aſſuetus, totus plerumque ex adulationibus ac detractionibus conſutus ſit, quæ non damna metuēda ſunt? mutuarum ſanè diſſenſionum cauſam mendacijs præberi quis non videat? & quid faciet Religio diſſenſionibus in diuerſum acta? Religio non erit. amor illam facit. hunc qui ſuſtulerit, illam deleuit. neque enim illam ſic ſeueritas, rigorque, aut circumſtantes pœnæ quàm tutatur amor hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentũ eſt, quod alijs propugnatoribus non eget. nam metus & terror infirma Religionis vincula ſunt, quæ vbi remoueris, qui timere deſierint, odiſſe incipient.

Subtrahet ergo diſſenſionum materiam, ignibus nimirum ligna, prudens Superior. faciet ſi omnem mentiendi licentiam

in

in radice præciderit. non ferro, non ignibus hîc parcat, vt reliquo corpori benè ſit. quòd ſi quē vitio huic indulgentem nactus fuerit, fortiter emendando inſiſtet: nuſquam parcet. perdit qui parcit, ſeruant qui ponit. vt laudanda hîc ſeueritas ſit, parcere neſcia: improbanda clementia, ignoſcere aſſueta. neque enim malum hoc indulgentia viceris, aut molli benignitatis ſpongia deleas; à ferro & nouacula ſanitas ſperari poteſt. à mitioribus tamen medicamentis inchoanda curatio. ab iniecta verecundia, à ſerijs monitis, à negata aut ſubtracta familiaritate: inde ad validiora remedia properandum, donec pulſo morbo victrix diligentia ſteterit.

CAPVT VII.

Animi candor in factis, in verbis.

CAndorem in omnibus quà verbis, quà factis præ ſe ferat Superior, vt illum inferiores ſentiant, clareque videant nihil in verbis illius fictum, nihil ad cuiuſcunq; gratiam compoſitum. exulet proinde omnis ſimulatio,

Digitized by Google

mulatio, omniſque politica agendi ratio, tanquam bonæ gubernationis peſtis, mortiferumque religioſæ moderationis venenum. nam ſi vel vnum huius in Superiore exemplum extet, ſatis eſt ad omnem illi auctoritatem tollendam, omnem erga illum venerationem, fiduciam, filialem obſeruationem, amoremq; penitus exſtirpandum, dabitque occaſionem inferioribus eoſdem mores imitandi. quod vbi fit, nulla iam Religio, ſed cum moribus ſuis ſæculariũ Principum aulæ ingrediũtur, ſequuntur doli ac fraudes, mutuæque pro mutuo amore & candore circumuentiones, ablegatam pietate & religione vniuersâ.

Iam cum ſimulata ac politica hæc agendi ratio fere ab animo dignitates ac honores meditante proficiſcatur, quaſi gradibus hiſce ad optata perueniatur faſtigia, fit vt in vanitatis ac ſuperbiæ campo, talium vota firmentur. quæ nec diu perennare, nec valide firmari poſſunt. cedent nimirum primis quibuſque tempeſtatibus, nec aduerſantibus obſiſtent, adeoque mole ſua nullo impellente corruent. Et neſcio an a-

D li-

liquod vitium Religioſo viro indignius reperiri poſſit. fallere, ſocium circumuenire, amicitiam mentiri, obſequia fallaci dextera deferre, virtutem, probitatem, benignitatem, manſuetudinem præ te ferre. qua careas, viri non eſt; ignauæ ac molliſſimæ mẽtis ac virum ſuum mentientis eſt. Sanè glorioſior quiſque antè animam ponet, quàm mendacio & fraude commaculabit; lætiuſque per virtutem cadet, quàm datam fidem fallat. magis etiam Superior, qui ex munere paternum pectus & matris ſpopondit vbera. at pater non eſt, qui verbis in dolum compoſitis filium in fraudem inducit; non eſt mater, qui pro vberibus ſcorpionem aut lapidem porrigit; venenaque pro lacte propinat. Facit hoc Superior omnis, qui pulſo candore, animique ſinceritate, aliud promittit ore, aliud mente deſtinat; aliud verbis loquitur, vultuque præfert, aliud animo verſat; patrem fronte ſimulat, inimicum pectore fouet; matrem oculis, factis nouercam exprimit. quæ vbi ſemel eruperint (vt diu latere ſimulatio non poteſt) hoſtiles exurgunt animi, nullâ arte aut annis ponendi;

exu-

exulat fiducia omnis, & pro religioſa ſimpliciq́; ac non fucata ſapientia, ingens diffidẽtia naſcitur; & aulici mores, qui dolis fallacijſq́ue prudentiam metiuntur, qui nudum ingenuumq́; candorem pro fatua, ſolertem fraudem pro prouida mente deputãt. quod vbi accidit, à ſola ſectione remedia ſperãda ſunt. durum medendi genus, quod ſine ferro & ignibus valetudinem non promittat; miſeraq́; omnino conditio, vt aut Superior munere exſoluendus, aut conſcij morum illius inferiores loco mouendi, alijq́; horum ignari primorum loco ſubſtituẽdi ſint. Quæ res diu ſtare non poteſt: perfacilè enim aliquid primis elabitur, quod ad aliorũ aures veniat. quod vbi acciderit, fruſtra meliora ſperãtur, vnaq́; ratio medicãdi ſupereſt. Superioris mutatio. tãtũ cõcepta ſemel opinio exẽplo firmata poteſt. nulli illã anni eluent, adeoq́; infixa pectoribus inhęret, vt depoſita etiam ſimulatione, pulſoque vniuerſim politico ſpiritu, fidem tamen non reperiat. ſemel enim fraude doloque circumueniſſe ſuos, ſemper eſt. ſemel beneuolẽtiam amoremq́; ſimulaſſe, patrémq; verbis, aliũ factis

oſtendiſſe, æternum eſt. Tam altè enim ferè hæc imprimuntur animis, vt nec ab arte, nec ab annis remedium ſperari poſſit. comitatur enim perpetua inferiorem diffidētia, nec ſe, vulneraq́ue Superiori explicabit; morbum ſimulabit, & antè cadet quàm malum retegat. dum enim ſemper hoſtem cogitat aut iudicem, non patrem, ſperare ab illis manibus remedia non poteſt. aliunde ergo illa mutuatur, etiam ab ignotis; ac non raro in externorum ſinum, malum refundit, cum domi non habeat cui ſe ſuaq́ue tutò credat. Quæ res quantis pateat difficultatibus, nemo non videt. reteguntur ſi quæ ſunt domeſtica mala: & pro alienationis magnitudine in immenſum extolluntur. diſpergitur fama, & ſi quid nominis fuit boni, multorum annorum induſtriâ comparatum, vnâ non rarò horâ prodigitur: abit deinde hæc res ad plures, & in ore ſingulorum ſeipſa fit maior.

Perit etiam omnis propè ſperata proximorum ſalus. nam vbi opinio politici ſpiritus peruagata, populi mentes occupauit, tota periclitatur fides; quâ ferè vnâ, maxima

ſpe-

ſperari poterant. magnum enim concepta ſemel fiducia calcar ad ſequelã eſt. illa, mala ſua retegit, ſuadenti credit, acquieſcit monitis, remedia admittit, ſequitur præeũtem, ac tanquam patris matriſq́; manu duci ſe ſinit, certa de tutela, ſecura de lapſu. At vbi ſubiit animum politiciſmus, in patris nimirum vultu hoſtilis animus, in matris oculis inimicum pectus; in externo verborum cãdore occultæ inſidiæ, in validis ſponſionib. mentita verba, in ſuaui oris, vultus, orationis compoſitione doli & fraudes; nequidquam ſperes. omnem enim ſpem vna ſimulatio, tanquam falce aut nouacula ſecuit: vt licet Superior ille ad non poſtremam deueniat ſanctitatem, reliquaſq́; virtutes ſanctimoniæ duces & comites conſequatur, ac opere etiã expleat; ab hypocriſi illa & ſolerti ſimulatione profecta arbitrentur, venenaq́; fellaq́; ſub hoc fauo latere ſuſpicentur: vt ſibi iam ille, Deoque viuere, aliis non poſſit; imperio ſanè idoneus nõ ſit, maximè in Religione, quæ deſpotica imperia aut ignorare debet, aut admittere non debet, aut certè à ceruicibus religioſæ gubernationis excutere, ſi

Digitized by Google

re, ſi ſaluam Religionem, germanúmque illius ſpiritum volet. quæ fruſtra ſub politico capite ſperabit; cùm politica ſub tali ceruice membra naſcantur, monſtrum ſit alia naſci. quod vbi fit, quidquid vbique religioſum piúmq; eſt, corruit; omniáq; virtutum loco vitia ſúccreſcunt; donec his tandem adminiſtris tota Religio collabaſcat. Nec ſperari prudenter meliora poſſunt: cùm enim nihil tam proprium ſit bene conſtitutæ Religioni, quàm morum animorúmque candor, ac columbina quędam in verbis factíſque ſimplicitas; tum nihil illi æquè aduerſatur, atque ſimulatio candori inimica. Sanè aliud pectore clauſum, aliud ore circumferre, alieniſſimum ab omni Religione eſſe debet. non ſapit ſimulatio illa Chriſtum, non illius diſcipulum. à ſęculi moribus mutuatur illā Religioſus, cuius omnis ſermo factáque in aperto & ad lumē ſtatui debet. ſcelera fraudéſque teguntur: virtus diem amat, noctem vitia. ſecretum crimina poſcunt; virtus tenebrarum inimica, roſtra & forum. erubeſcūt ſcelera prodi; dum publicatur virtus, ruboris ignara eſt, niſi modeſtiæ ille rubor ſit, &

ſub-

ſubmiſſæ mentis conteſtatio.

Et verò generoſior quiſque ſimulationem odit, amat candorẽ; timidiſſimus quiſque hunc odit, illum amat. fortis virtuti & veritati fidit; fallacijs & inſidijs timidus. ille ſæpè è conſcientia bona nudæ virtuti innititur; hic virtutum diffidentia ſolis fraudibus felicem ſibi euentum ſpondet. accedit extra metum eſſe candorem; ſimulatio timoribus natat. ille cùm nihil ſperet, nihil ambiat, nihil etiam timet; hic cùm plurima venetur, metuit plurima: quare in omnem ſe partem vertit vt auertat metuenda. ille gaudet cùm ſibi & Deo viuit, dignioribus excluſus; hic digniſſima quæque proſequitur, mœrétque ſi non fruatur optatis, ſi adeptis ſpolietur. atque hinc continuâ pulſatur ſollicitudine, né aut excidat potitis, aut excludatur deſideratis. candoris amator in altiſſima viuit pace, ſorte ſua contentus: perpetuis ſimulator tẽpeſtatibus iactatur; nuſquam illi quies, cùm iactationum cauſſam, dignitatum quendam æſtum circumferat. ad quas recto tramite cùm pertingere non poſſit, mille quæruntur viæ, mille fraudi-

bus retegendæ: ita in æterna quadam iactatione viuit, neſcit portum, littoraque ignorat, cùm perpetui illum fluctus concutiant, illidantque in omnem partem, miſerâ æternaque fluctuatione.

Fugit hæc prudens Superior, Deoque ſoli innixus virtutem ſectatur, illi dies noctesque ſacrat: illi ſudorem ſanguinemque lætus prodigit: ſtringit illam, amplexaturque non ſoluendo ęternùm nexu. humana ridet humanis maior, hominumq; de ſe opinionem excutit vt vento raptatam paleam, vt infantiæ bullas; ſoliuſque de ſe Dei ſententiam timet & amat in interitum aut ſalutē. hinc illi placuiſſe felicitatis, diſplicuiſſe infelicitatis ſummæ eſt: contemnit reliqua, & generoſo calcat pede, vt indigna viro cælorum gaudijs nato, indigna Chriſti diſcipulo & imitatore, cuius omnis vita plana & ad ſolem lucemque poſita eſt. Neque vllam ſanè ſimulandi, ne dicam mentiendi, cauſſam habet, qui extra Deum, cui abditiſſima quęque recluſa ſunt, nihil ambit. humana qui quærit, mentiri poteſt, imò debet; cùm ferè ſolis illa fraudibus parentur, ſolis pateant.

rariſ-

rariſſimè enim nudæ virtuti via ad illa eſt: doli admouendi, ſternendaq́ue fraudibus ſemita, ſimulationibuſq́; muniendæ in omnem partem cõgitationes ſunt. Longè ſunt hæc à religioſo pectore, quod cælum Deũq́ue cogitat, nec aliud. hic illi laborum, ſtudiorum, conatuum, vitæq́ue finis eſt. in quo ſolo Religioſus vt in vnica fida tutaq́ue ſtatione æternùm conquieſcit, deceptionum, ſimulationum, mendaciorum ignarus. Neque his eget qui Chriſtum ſuum intuetur, qui breuem mortalium vitam, incertum exitum; qui Iudicis ſententiam fòrs hodie, fòrs hoc momento ferendam; qui denique vtramque æternitatem gaudiorum ac flammarum ſeriò meditatur.

CAPVT VIII.

Gratus in benefactores animus.

ETiam in inferiores: à quibus beneficijs victum Superiorem eſſe, graue eſt. cauebit ergo Superior ne in eum ſe locum duci patiatur vt vinci poſſit. Sin in generoſos

Digitized by Google

inferiores inciderit, qui merita æquare beneficijs & audeant, & poſſint; non permittat tamen Superior ſe vinci, & magna ſemper facta maioribus animis & beneficijs remunerabitur. Si verò in eum Superior caſum inciderit, vt ſuorum induſtriæ & dignitatem & vitam debeat; grata non tantùm memoria beneficium colet, ſed quidquid habet & animorum & virium, in compenſationem effundet. ita tamē ne muneris ſui obliuiſcatur, ne quidquam de dignitate remittat, ne concredita ſibi alieno potiùs ductu quàm ſuo peragat, ne ſolo nomine contentus, imperium alijs cōcedat. ne denique hac indulgentia reliquorum ſibi offenſionem conciliet.

Quòd ſi Superior beneficiorum immemor, ingrata illa integat obliuione, quòd arbitretur omnia ſibi deberi, nullaque promerita inferioris in Superiorem eſſè; præter alienum ſuorum animum; ſui cōtemptum, rerumq; omnium neglectum parabit. quis enim ſi præmia tollas, ad ardua manum extendat? quis contrà non extendat ad maxima manum, ſi magnis conatibus magna

præ-

præmia proponas? quis ingratum Superioris ſui pectus grato ſudore perpluat? quis grati diſſectis vndique venis tanquam imbribus nõ perpluat, grato nimirum ſanguinum flumine grata paſcua rigando? quis illiberales manus beneficijs oneret? quin magis, ingrati Superioris imperata malignè inferior exequetur; ac ne qua laus ad illũ veniat, deteriora deliget & ſequetur, partemq; ipſe vltro dedecoris feret, vt altera Superiorem induat. pulcrum nimirũ ipſi videbitur, ingrati Superioris pectus per ſuum latus petere. quin & famam lubẽs prodiget vniuerſam, ſi per hanc calcãdum Superiorem ſperauerit. Eſt enim quædam in vindicta lætitia, quæ rationem obnubilat, denſaque caligine ingeniorum diem integit, melioremque ſolem pectoribus adimit. Infelix conditio. verùm ita comparatum eſt, vt ingratitudo odia prouocet; ita dum ingratum experimur, non tantùm à beneficijs manum retrahimus, ſed ad euerſionem extendimus. Scio non eſſe hoc Chriſtianum, cuius eſt, beneficia pro malefactis rependere: minùs etiam Religioſi eſſe, cuius eſt, in magni ſuæ

felicitatis parte ponere bene velle, benè precari, benè hoſti facere, inimicaſque machinationes conatuſque ingentibus beneficijs tanquam rupibus inſepelire. Sed ea ferè eſt humanæ naturæ conſtitutio, vt ſi ingratum nacti fuerimus, ſuperior ille, par aut inferior fuerit, omnem non tantùm beneficam manum retrahamus, ſed pro beneficijs odia reponamus. vt nonniſi ingentis animi & perpaucorum ſit ingratam mentem beneficijs onerare. quin adeò antè hoſtem quàm ingratum repetitis beneficijs cumulamus. quòd hoſtiles ferè animi beneficijs molleſcant, cùm ingrati pectus nulla ferè promerita emolliant. quæ etiam cauſſa, vt nullius commiſerationem in aduerſis ſentiant, ſed effuſum potiùs multorum gaudium, & maiores in calamitatibus imprecationes, infauſtaque omnia; cùm omnem lacrymam ingratitudo exſiccet, odia prouocet. lapideſcit enim quodammodo animus, ſi poſt benefacta in ingratum inciderit; & fontium quorundam more vbi proſilierit, attactu ſaxeſcit.

Vis magnos? magnis beneficiis promerentes

tos imple. verè enim dictum, *magnos animos magnis beneficiis fieri*. nec minùs verum illud Euripidis, *plurimas perire reſpublicas, cùm qui bonus & ſtrenuus eſt vir, nihilo plus quàm ignauus, fert præmij*. nam quotus quiſque gratuitò eſt bonus? vt non inconcinnè quidam:

Non tamen inuenies multis de millibus vnum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſibi.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non mouet, & gratis pœnitet eſſe probum.

Mentior, ſi non ipſe Deus beneficiis prouocet, inuitet præmijs. tolle hæc, quanti inuitantem ſequentur?

Quòd ſi non à domeſtica, ſed ab externa manu beneficia veniant, maiore etiam illa gratitudine ſignabit Superior, munerumq́; magnitudinem à largientis voluntate metietur. & aſſueſcet etiã in paruis diuites gratias agere. meretur enim magna quiſquis minimorum magnus æſtimator eſt. & ingens illecebra magnorũ eſt, gratiſſimus in minimis animus; auguſtaq́; illa verborũ veſte, in gratæ mentis teſtationem, induiſſe, & rebus etiã propiùs quàm verbis gratum pectus explicaſſe. Et ſanè mutuis beneuolẽtiæ officijs

Digitized by Google

certaſſe, omnium ſemper ore laudatum fuit, Deoq́; dignum ſpectatore grati animi cum benefactore ſuo certamen, dignumq́ue illo duce & præmiatore nunquam in munificentiæ arena ſuccubuiſſe. quæ res propriè Superiores decet, qui ferè cùm velint poſſint. nam & benefacere mille modis poſſunt, & Dei imitatione ad beneficia potiùs quàm ad terrores inualidum imperantibus auxilium, decurrent. & iam olim dictum: *Meliùs beneficiis imperium cuſtoditur quàm armis*, certiùs quàm pœna.

Si domeſticarum rerum anguſtiæ aliorum erogationibus adiuuentur, omni gratitudinis genere liberalitas rependenda erit, verbis ampliſſimis, religioſis officijs, orationibus ad Deum; grata non tantùm memoria, ſed gratis etiam acceptorum beneficiorum narrationibus beneficas largitorum, aliorumq́ue aures implendo. Incredibile enim dictu eſt quàm acceptę hæ narrationes, quamq́ue prouocatiuæ maiorum ſint: viam nimirum ad noua auguſtioraq́ue beneficia inſternunt, cùm contrà ingratus animus omnem benefaciendi voluntatem eluat; omnem

nem munificam manum, & ad erogandum explicatam contrahat. neſciunt miſceri liberalitas & ingratitudo: & indignus beneficijs, immemor beneficiorũ eſt. quid? quòd gratitudo laudem & amorem, ingratitudo cõtemptũ & odia pariat? neſcit amare qui munera ſua neglecta videt: diſcit odire qui beneficia ſua contempta ſentit. contempſit qui non amauit, & qui beneficium ſic accipit, quaſi beneficium ſit accepiſſe, & gratias debeat qui dedit. Moroſorum hæc ingeniorũ ſunt, & quæ ſolitudini, & ſibi, non alijs nata ſunt, euertendis imperijs familijſque aptiſſima; cùm & domeſticorũ & aliorum animos ita auertant, vt è propugnatoribus & beneficis amicis, oppugnatores & hoſtes exurgant. Non poteſt imperiũ diu ſtare amore viduatum, nullus amor ferri poteſt in ingratum. non poteſt familia conſiſtere beneuolentiâ ſpoliata; nulla beneuolẽtia cadit in ingratũ. nulla deniq; firmari domus poteſt domeſticorũ alienorumq; benignitate nudata; nulla benignitas defluit in ingratum. vt omne omnino roboris vinculum, quo mutuo animorum nexu familia nodatur ac ſtringitur, vna

vna ingratitudinis ſecuri diſſcindatur. & cùm non mereatur ingratus amorem, odia meretur: cùm beneficijs indignus ſit, contemni negligiq́ue digniſſimus eſt. dignuſq; adeò quem extrema pauperies, omniumq; indigentia occupet; quem damna doceant: quanquam perexigua ſperari emendatio, à quacunque demum manu, poſſit. Accidit enim in hoc vitio, quod densâ vndique nocte ac nebulâ cinctis, aut cæcitate percuſſis, qui ob futura, quia non vident, non præcauent; quod ſole aduſtis, flagris occallatis, morbis denique penitus elumbatis, ac attritis, vt omni propè ſenſu viduati, bona malaq́ue non ſentiant; quo fit vt nec noxia fugiant, nec profutura amplectantur: nec à quacunque medica aut auxiliari dextera, quibuſcunque monitis, minis, terroribus, præmijs, laude, ignominia, meliora ſpondeant. vt non immeritò quis de his dixerit, fruſtra mortuis, aut extrema trahentibus medicamenta admoueri. adeò vltima deſperatione valetudinis, imperij nimirum boni ac prudentis, ingratus omnis premitur. Sa. 16. *Ingrati enim ſpes tanquam hybernalis glacies*

Digitized by Google

cies tabeſcet, & diſperiet tanquam aqua ſuperuacua.claudo hæc Bernardi verbis: *Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.* quo magis Superiori vitanda eſt.

Omnium deterrimus eſt qui eò ingratitudinis prolabitur, vt beneficiorum immemor. malum pro bono reddat. cui exſpectādæ minæ, Sapientis Prou. 17. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.* Grauis interminatio. grauior quia à Deo profecta. cuius minis res ſeueriores ſunt. & non immerito infra omnem belluam illum ſtatuam, qui beneficia malefactis remuneratur. Sanè leo animalium efferatiſſimum, beneficijs præuentus, feritatis ſuæ obliuiſcitur, & cum toto ſuggeſtu iubarum, delicium fit reginæ, lingua genas eius emaculans, cùm & pectinem iubę paterentur, foratu aures effeminarentur, coma ſtrueretur, ſtola diffunderetur, & ſpeculum conſiliarius adeſſet. potuit hoc beneficij memoria. Legimus & hyænam annalem ſexum, veneni in benefactore

ctore oblitam. quin & beneficium à ſerpente, à leæna, tigride, crocodilo relatum. quo magis extra omnem hominem numerandus eſt, quiſquis in benefactorem inſurgit. Damnata olim Diomedis præſepia; laudatus Hercules, qui auctorem equis obiecit. damnata buſtuaria Buſyridis altaria, & Gerion ter vnus. damnatus qui mugire in boue docuit homines; qui murænis ſeruos obiectabat, vt in viſceribus eorum aliquid de ſeruorum carnibus guſtaret. omnibus tamen ſæuior & efferatior eſt, *qui mala pro bonis reddit*. omni bellua immanior, omni crudelitate crudelior, Deo hominibuſque inuiſum monſtrum, portio Neronis. Quid enim eſt aliud exſurgere in Benefactorem, quàm ſæuire in matré? mater omnis benefactor eſt, beneficia vbera cogita diuite lacte diſtenta. vt meritò ingrati impietatem damnes: maximè verò in Religioſo, à quo tantum impietas hæc exulare, quantum pietas omnis funditus animo inſculpta, ac cum Religionis vtero adgenita eſſe debet. quem ſi videris benefacta malefactis compenſantem, cogita Religioſum nõ eſſe. habitus Religio-
ſum

ſum loquitur? noli Religioſum metiri veſte. animus illum facit. hũc animum in barbara illa impietate non inuenies. nemo pius impius eſſe poteſt. nemo ingratus pius; omnis pro beneficiis maleficia reponens impius, omnibuſq; efferatior belluis eſt. ignorat has feritates Religio. ſi admittat, Religio nõ eſt: quæ virtutum, caſtorum amorum, pietatis, humanitatis ſchola eſt. in qua ſi quem repereris benefici benefactoris ſui hoſtem, ſpurium vitulamen cogita. non aget altas radices. nam aut fœcundo Religionis ſolo excidet, nouuſq; Cain profugus oberrabit orbem, aut ſimili ſcelere ſcelus luet. neque enim inultam impietatem permittet Deus. Dictum bene in omni ſcelere:

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

citato pœna proruit. differtur? tarditatem grauitate cõpenſat. maximè verò in hoc crimine, quod impunitum nulla vidit ætas. aperte quis irruit in amicũ? aperto cadet hoſte. ex inſidijs petit? ijſdem fraudib. circumuẽtus occidet. euertit benefactorem, fortunis, dignitatibus exuit? ſuis artibus corruet.

de-

detraxit nomini? patietur eadem. fatigauit calumnijs? delaſſabitur criminationibus. obruit innocentem? cadat ipſe nocens. innocens enim cadere non poteſt qui innoxium oppreſſit, meritaſq; hîc & in altera vita pœnas feret.

CAPVT IX.

Fides ſeruanda,

AVt non danda. dediſti? ne falle. etiam in hoſte ſeruandam fidem, & non cōſiderandum cui, ſed per quem iuraueris, Hieronymus in Ezech. l. 5. c. 17. docet. hinc illud Poëtæ: ——*Optimus ille*
Militiæ, cui poſtremum eſt primumq; tueri
Inter bella fidem.

Laudati ab hac Fabius Maximus, Ptolemæus, Attalus, Saguntini. laudatus à non vno Sextus Pompeius. Octauum & M. Antonium naui ſua ſuſceptos vehebat. necare poterat & imperare. noluit. ne per violatam fidem ad imperium veniſſe videretur: cadere inter arma glorioſus maluit. Quis Chriſtianus

nus ſequatur? ac neſcio an alio patre filius talis naſci potuerit; digniſſimus Pompeij nomine, & vel hoc ſolo, Magno patre maior, Auguſto maior. Laudatus Nerua Imperator, quod, cum interpoſito iureiurando ſenatui addixiſſet nullum ſe auctore ſenatorem morti tradendum, abſtinuerit à ferro in eos quos in caput ſuum coniuraſſe ſciret. tantum potuit in alta gentilitate iureiurando fides cõfirmata, vt religione illius tactus Imperator parceret ferro & ſanguini, etiam in capitis periculo. periclitabatur fortuna Cæſaris, & in vnius capite imperium; maluit periclitari, & noxium ſtare ſanguinem, ne fidem falleret, ne poſteritas diceret, non potuiſſe ſtare Cæſarem niſi fuſo poſt datam fidem ſanguine. ſtetit, nec fudit. vt ſciret poſteritas certiùs ſceptra fide quàm ſanguine ſtare. perpercit ergo Cæſar, pluſque potuit ad incolumitatem Cæſaris, hoſtibus ſeruata fides, quàm fuſus ſanguis. Firmauit ergo in Nerua fides imperium; euertit contrà perfidia Carthaginem, Corinthum, Thebas, Chalcidem florentiſſima regna veriùs quã ciuitates. & ferè perfidia vna aliam euertit.

ca-

Digitized by Google

cadunt hac adminiſtra Hannibal, Iugurtha, Syphax: nec aliam meretur dexteram quàm ſuam perfidia. quæ dolis ferè fraudibuſque dum euertit alios, paribus cadit animis, raroque ſicca morte perit perfidus. ita nequidquam diuinam complexus aram, Deumque perfidæ mentis vindicem deprecans, ferro cadit Ioab, cuius ceciderãt Amaſa & Abner, in pace, in oſculo, in amico amplexu. Cecinit in hanc rem olim Homerus:

Etſi periuros violato fœdere Troas
Iuppiter è cælis præſenti haud puniat ira,
At tandem grandes magno cum fœnore pœnas
Hi cum coniugibus & tota ſtirpe rependent.

Seruabit ergo intactam fidem Superior, ne vindicem in ſe Dei violatæ fidei manum experiatur; & imitabitur magnum Ioſue poſt elementis ſtationem imperatam, bellis ac fide etiam clariorem, qui illæſam Gabaonitis ſeruauit, dolo licet circumuẽtam, fraude extortam. ſtetit tamen in illa, nec fefellit datam. Stabit etiam Superior, memor tamen Iſidori: *In malis promiſsis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum. impia eſt promiſsio quæ ſcelere adimpletur,* hinc laudatus Dauid quòd iuſiuran-

randum in Nabal reſciderit; damnati Iephte & Herodes, quòd impia vota, funeſta impiaque innocentis ſanguinis profuſione, expleuerint. Impium ferrum eſt, quod quacunque fide data in innoxio ſæuit ſanguine. Nec quiſquam pius aut prudens impietatem vnam altera expunxit; aut vnam altera cumulauit, ne incomitata prior iret. & quis ſcelus ſcelere deleuit? impiè vouiſti? vouiſſe pœniteat. nec vltrà tende manum. ſatis eſt peccaſſe ſemel. ſtulta manus eſt quæ fatui oris vota comitatur, impia quæ impietatem illius ſequitur. innocuam proinde ſerua dexteram innoxio, ne grauiore ſcelere ſcelus funeſtes.

Nec ſeruanda tantùm iurata fides Superiori eſt: etiam iniuratam ſeruabit. quin omnis illi fides pro iurata erit. ac ne qua pœnitentia incurrat, tardè ad promiſſa accedet, ac non niſi à matura deliberatione ad ſponſiones ibit. nec fidem niſi conſultam dabit. dedit? ſeruabit, niſi tam valida rationum momenta occurrant, vt aut ſtolidum aut noxium ſit promiſſis ſtare. quod vbi accidit, dabit operam vt cui fidem dedit, ſentiat

non

non ſeruandam, aliaque non inferiore conceſſione primam fidem exſoluet. Nec grauis Superiori hæc maturitas ac quædã in ſponſionibus lentitudo erit, ſi cogitauerit, celeri ferè ſponſioni celerem incumbere pænitentiam, imò citatio rem ſponſione pœnitudinem & merorem. Verum illud olim & ſemper, *Qui citò credit, leuis eſt corde.* leuior cui ſpõſiones natant in labris, qui ante cordis ſui ſenatum proſilit in illas: quæ cũ perpetuis ferè agantur motibus, crebriſque mutationibus obnoxiæ ſint, ingentis inconſtantiæ opinionem ingerunt: quo fit vt omni apud ſuos Superior talis fide excidat. profluunt inde ſuſpiciones improuidæ mentis, in verſutias & dolos pronæ, in omnem partem variæ: naſcitur diffidentia, contemptus, riſus, fœcundaque oblocutionum ac detractionum materia prębetur. abrogata iã vero vniuerſùm fide, quid ſperari poſſit, quid nõ timeri? Vbi enim ſemel opinio inualuit, aut ea mobilitate Superiorem eſſe, vt nuſquam figat pedem, ſed natet ſemper, continuoque æſtu ac fluctibus percutiatur; tam præcipiti conſilio, vt imperata aut conceſſa noua ſemper

in-

incude egeant; aut tam immemorem ſui, vt aquæ inſcriptas ſponſiones arbitreris; aut tam varium, totque aſtutijs vndique inſtructum, vt nihil certum promittere tibi poſſis, quibuſcunque verbis ſponſio firmata fuerit, cùm periculum ſemper ſit ne è medio cōceſſorum curſu retrò agaris; quis animus ad magna aut victura cuiquam eſſe poteſt? aut quis amor in Superiorem? Concidunt concidente fide omnia. magis etiam in Religione: in qua Superioris promiſſa eo certiora eſſe debent, quo à religioſiore pectore & ore proficiſcuntur; quoque à diuinis viciniore ſponſionibus, & quo turpius eſt illum fallere qui fallere neſcio Deo, Religione ac dignitate reliquis coniunctior eſt.

Etiam cum incommodo & damno fidem ſeruabit, maximè ſi externo data. plus enim laudis è ſeruata, quàm è violata commodi referet; & aſſueſcent externi domeſticique certiùs fidentiuſque ſe reſque ſuas illi credere, ſalutem ſuam, morbos ſuos. quo fiet vt magna omnia ſperare Superior audeat & poſſit. eſt enim fiducia ſpei magnæ mater maxima, à cuius ferè felici vtero & vbere

E Re-

Digitized by Google

Religionibus optatiſſima profluunt. omnium ergo in Religione vtilium firmiſſima Superior fundamenta poſuit, qui ſuos in fiduciam prouocauit. conſequetur hoc quiſquis ſanctè ſemel datam fidem ſeruat. qua vna, omni hiſtoria teſte, plus Romana reſpublica quàm armis creuit, quàm opibus ſtetit. Hinc illud Ciceronis: *Nulla res vehementiùs rempublicam continet quàm fides.* & illud Liuij: *Niſi in fide ſtet reſpublica, opibus non ſtabit.* ſtabit magis etiam Religio, ad cuius decus nomenque magnum, multorumq; ſalutem ſatis eſt audire, infractam illi fidem ſtare, nec ſemel datam fallere.

Fraus tamen doluſque ſi fidem extorſerit, non ſubiacebit violator damnationi. ſed neque ſi adacto ferro aut intentata morte; doli nimirum, arma, metus libertatem infregerunt, vt meritò iudicandus ſit fidem dare noluiſſe, in quam dolus aut armata vis ferro impulerunt. maior tamen gloria erit etiam ſic datam fidem ſeruaſſe, niſi grauiora quæ de propinquo terreant damna in multorum perniciem caſura ea ſint, vt prudentis non ſit improbis his vijs expreſſa, iuſto tantorum

orum metu ſeruare.leuia ſi damna ſint,ſer-
ıabit fidem vir fortis.verùm non dabit ſe in
llum locum ſecundò, quo fraus aut arma
netuēda ſunt. quòd ſi quid præter decorem
errum mineúe exegerint,antè animam po-
ıet quàm ſubmittet:glorioſiùs enim ante fi-
lem cadet quàm datam violabit.Scio excu-
ıtioni locum eſſe,hoſtiles minæ, inimicum
errum, mors, tormenta, aut vincula.dura
æc, etiam dum cadunt in fortem. antè ta-
ıen iugulum præbebit quàm ceruices ter-
oribus ſubſternet. dura mors eſt: duriùs in
loriam vitam trahere. ſed veniam meretur.
lorioſiùs cadet. & magnos animos nobili
xitu ſignabit. & quid intereſt hoſtili nunc
erro cadat,aut non multò pòſt febribus? a-
imam arma excuſſerint aut morbus? catar-
ıus extorſerit aut fraus? per vulnus aut os
miſerit? mori ſemel, non ſæpiùs datum.
eatus qui generoſam vitam generoſa mor-
clauſit, nec ſubmiſit genua minis, nec in-
ecoro puluere ſordidus ſupplices retendit
erro dexteras, pro fide, pro vero,non timi-
us mori.

Digitized by Google

CAPVT X.

Commiſſorum ſibi fida cuſtodia.

SEcretorum ſibi commiſſorum, aut peragendarum rerum, conſiliorumq́ue obſeruantiſſimus ſit Superior. Dictum verè; Neſcit imperare qui neſcit ſilere. adeoq́ue euertendis imperijs natus eſt, qui ſilere neſcit: vt bene prudenterq́ue imperandi prima regula ſit ſecretorum obſeruatio. qua qui caret, in imprudentiſſima ſæpè & pœnitenda, ſoliſq́ue lacrymis ſuſpirijſq́ue emollienda corruet. induet ſe difficultatibus maximis, quibus nec facilè ſe exuet, nec explicabit; nec malis remedia inueniet; cogeturq́; non ſine nominis iactura ad frequentem conſiliorum, rerumq́ue deliberatarum mutationem; offenſiones incurret multorum, impedimentaq́ue experietur, à quibus vix humana ope ſe expediet; vt ſilere in Superiore prima prudentis imperij regula ſit: qua qui deſtituitur, caret viarum ignarus, ductore; & tanquam gubernaculo nauclerus deſtitu-

tus,

us, vento & fluctibus ludibrium fiet.

Secreti huius momenta intellexerunt Romani. vnde Valerio teſte Lib. 2. cap. 1. actũ, *vt arcana conſilia patrum multis ſæculis nemo ſenator enunciaret: nunquam enim taciturnitatem optimum ac tutiſsimum adminiſtrandarum rerum vinculum, labefactari volebant. fidum namque illis moribus erat & altum Reipublicæ pectus, ra ſilentijq́; ſalubritate munitum & vallatum ndique, cuius limen intrantes abiectâ priuatâ caritate publicam induebant. Itaque non vnum ſed eminem audiſſe crederes, quod tam multorum aubus fuerat commiſſum.* Laudatiſſimum in hoc enere Perſarum à Q. Curtio l. 4. diſcimus: *lexander quam regionem Darius petiiſſet, omni cura veſtigans, tamen explorare non poterat, ore quodam Perſarum, arcana regum mira centium fide. non metus, non ſpes elicit vocem, qua odantur occulta. vetus diſciplina regum, ſilentin vitæ periculo ſanxerat. lingua grauiùs caſtigar quàm vllum probrum; nec magnam rem ſuſtiri poſſe credunt ab eo cui tacere graue ſit; quod homini facillimum voluerit eſſe natura. ob hanc caum Alexander omnium quæ apud hoſtem agebanr, ignarus.* Laudatiſſimum eſt illud Metelli:

Digitized by Google

Si tunica conſiliorum meorum eſſet conſcia, detra-ctam in ignem mitterem. ne nimirum proditor tunica eſſet domini, & vnde auxilium tegẽdo, inde perniciem retegendo hauriret: benè matureque cogitata, imprudenti vulgatione euertendo, præmaturiſque fructibus vuiſque arbores vineaſque ſuas nudando, prædiuitemque ſpem domini ſui immatura defruſtatione fallendo. Eſt in hac re Curtij nimis verum. *Res magnæ ſuſtineri non poſſunt ab eo, cui tacere graue eſt.*

Contingit deinde non infrequenter, vt mutare cõſilia cogatur Superior; & prudentis eſt ſanioribus occurrentibus locum dare priore cogitatione depoſita: peruicacis ingenij, nolle à concepta opinione decedere, melioribus licet propoſitis. prudens his ſuccedentibus mentem mutabit: ſtabit in ſententia ſtolidus. mutare verò & aliò conſilia flectere quæ propalaueris, durum & difficultatibus plenum: maximè cùm inuoluitur mutationi dignitas cogitata, aut dignius alicui munus imponendum; potiſſimùm cùm ad plures res abijt, aut improuidè res vulgata eſt: quod ex imprudenti ſecreti violatione

na-

Digitized by Google

natum, tantas in pleriſque animorum tempeſtates excitat, vt ſedari fluctus illi vix humana arte videantur poſſe.

Iam cum inferior mentis ſuæ abdita aut morbum quo tenetur animi, aut qua pulſatur tentationem aperuerit, medicam patriſque dexteram ſperans, repereritq; infidum Superiorem ſibi commiſſorum cuſtodem eſſe, tegenda propalaſſe, ingentes omnino animorum commotiones exurgunt, nullâ arte remittendæ, ætate nullâ. ſemper enim infidus ille Superioris animus menti obuerſatur; nullique ſe ſuaque inferior credit, qui re ſua ſe falſum deluſumque candore ſuo deprehendit, vt vnius delictum in omnium ore vereatur. ſemel enim concepta diffidentia ferè perennat, & ſuſpicio in omnes abit. A qua re quanta incommoda ſequi poſſint, nemo paulò prudentior non videt: dum non produntur morbi, & intima ægritudo depaſcitur, omnemque medicam manum æger fugit, noxioq; pudore ex vnius imprudentia nato, mortẽ accelerat, antè periturus quàm retegat malum. tantũ concepta ſemel diffidentia poteſt è cõmiſſorũ propalatione

pro-

profecta. Et quis ſua propalatori credat cùm audiat Sapientem Prou. 29. *Et qui reuelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis.* & Hieronymum: *Si quis voluerit tuis miſceri amicitiis, & hunc videris prioris amici pandentem ſecreta, hunc veluti perfidum caue.*

CAPVT XI.

Liberalitas.

MAgnificè de hac Nazianzenus Orat. de pauper. amore. *Nihil tam diuinum homo habet quàm de aliis bene mereri. fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.* Pergit eodem robore: *Hæc eſt omnium laudatarum virtutum præſtantiſſima, hæc eſt felicitatis comes, hæc aſſidet Deo, & magna eſt cum ipſo neceſſitudine coniuncta.* Magna laus à magna manu & calamo diuinum aliquid hęc virtus habet, & neceſſitudine quadam iuncta Deo. & quid maius quàm egenti fieri Deum? facit hoc liberalitas. imitatione tranſit in Deum Nazianzeno teſte. Placet hæc diuinitatis prærogati-

Digitized by Google

tiua? imitare etiam in ingratum, & non promeritum. nam & beneficio Dei ſceleratis ſol oritur, & piratis maria patent, ſuſtinetque Deus ingratiſſimas nationes, ludibria artium & opera manuum ſuarum adorantes, inſoleſcentemque multorum malignitatem nouis indies beneficijs cumulat, vt maior improbitate liberalitas ſit, largior ingratitudine profuſio. Quid? quòd in alta gentilitate audeat Liuia Auguſto conſulere, vt inimicos liberalitate ſibi obſtringat? ſecutuſq; ſuadentem Auguſtus, magnum terris nomē reliquit. Et ante hunc Iulius, Cæſarum primus & maximus: *Hac noua ſit ratio vincendi, vt miſericordia & liberalitate nos muniamus.* Præuenit hunc etiam Magnus Alexander, cùm rogatus quis Principum optimus eſſet, reſpondit: *Qui amicos donis retinet, & inimicos beneficiis amicos facit.* Claros in hac re fuiſſe accepimus Cimonem Athenienſem, Ptolomæum Lagi filium. Eſt & illa magni Imperatoris vox magna, *Amici, diem perdidimus.* ſi perierat dies erogati ignara muneris, quid dicemus de illa quæ aliena rapuit? quæ natauit ſuorum ſanguine? quæ nouæ alicuius Ie-

zabelis impulſu nouam inuenit vineam nouo ſanguine litandam? maximè cùm habeamus monentem Dominum: Matt. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Si benefacere odientibus iubemur, vt ſimus filij Dei, cuius filij erunt qui beneficia hæc negligunt? cuius qui odia odijs, contumeliam contumelia, ferrum ferro eluunt? cuius denique qui pro beneficijs, quà verbo, quà facto mala reponunt? Chriſto digna ſententia Senecæ eſt: *Si Deos imitaris, da etiam ingratis*; diceret idem, Da inimicis, cuius hæc vox eſt, *Vbicunq; homo eſt, ibi beneficio locus eſt.* Secuti ſunt Philoſophum hunc monentem Traianus, Hadrianus, Marcus, Seuerus, cuius illud, *obliuiſci beneficiorum debere qui dedit; qui accepit, nunquam.* cui ſimile. *Qui dedit beneficium taceat, narret qui accepit*; dediſſe & narraſſe, præmium accepiſſe eſt. & aut pœnitudine duci narrator videtur, aut paria exſpectare, aut laudem è beneficio: quam qui retulit, non tam dedit, quàm beneficium accepit,

maior

maior omni beneficio laus eſt. Quid? quod beneficio alicuius teneri, ſeruitutis quoddam genus ſit? ſanè qui beneficium contulit, vincula iniecit, cõſtrictus eſt qui accepit. nec ſe exſoluet niſi pari nexu conſtringat benefactorem ſuum, vt paribus illigatum teneat modis. non poteſt? gratiam referre poteſt. nemo ad hanc nudus eſt. poteſt etiam laudem. quam ſi qui beneficium dedit, ſperat; vinculo exſolutus eſt qui laudat: exſpectatum enim beneficij pretium dedit, vt maiora ſępè acceperit qui dedit. Non admittit donator laudem, imò refugit; nulla accipientis laude innodatur. niſi quis dicat etiam in nolentem beneficia conferri, nec minùs his ſtringi quàm deſideratis: fòrs & arctiùs. Audet etiam Chryſoſtomus de donatoribus Ho. in Ge. 27. *Ipſi ſumus qui beneficio fruimur, & multũ lucri inde nobis conciliamus. nec putemus aliud, dum benefacimus, quàm quòd magnum beneficiũ apud Deum deponamus*, centupla generatione recepturi. Nolo prodigum, ne audiat Caligula, Nero, Vitellius, qui cùm ſua profudiſſent, de alieno liberales fuerunt. vt eſſent, rapere debuerunt. Nolo inimicum

E 6 opi-

opibus, vt tãquam hoſtem aurum proijciat. abijcimus quæ odio proſequimur, amata ſeruamus, aut moderata manu porrigimus, aut amica in amicos, cùm auro potiores amici ſint; aut in egẽtes, larga. amat enim qui largitur, cùm & accipientem demeretur, & maiora cælis ſperat, cùm maiora reponat. reponit quiſquis in egentem. confert remunerandum cælo, etiam terris. Dei ſponſio eſt. mentiri non poteſt Deus, fallere non poteſt. poſſet ſi mentiri poſſet. non poteſt veritatum prima. neque enim veritas eſſet, hoc eſt, Deus non eſſet, ſi mentiri poſſet. qui ſi ſpopondit, datam fidem ſeruabit. qui non tam doni quàm donantis animi magnitudinem conſiderat. Eſt in hanc ſententiam illud Ambroſij Lib. 1. offic. *Affectus diuitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.* & Senecæ: *Beneficium non in eo quod fit aut datur conſiſtit, ſed in ipſo dantis aut facientis animo. animus eſt qui parua extollit, ſordida illuſtrat, magna & in pretio habita dehoneſtat.* Infelix alioqui futura pauperum conditio, ſi magnitudinem rebus, non animo metiatur Deus, præmiaque rebus, non animo reſpondeant. vt

for-

fortunatos meritò dicamus pauperes Deo præmiatore. cùm hoc iudice, voluiſſe, cùm non poſſis, ſatis ſit. ita apud illum conatus & voluntas in laude & præmio eſt. Cauendum deinde mœroribus integantur dona, aut importuna extorqueantur prece. ingrata mœrentia dona ſunt, & pretium accepit qui rogatus dedit. occupare verò antequam rogeris, Cæſare dignum eſt, quem plerumque præueniſſe preces, tradunt. Sanè omnis liberalitas properat; vt tardè velle, nolentis ſit, proximuſque etiam neganti ſit, qui dubitando dona trahit, & lenta porrigit manu. ignorat lentitudinem mœſtitiamque vera liberalitas, & magna dona maiore alacritate purpurat, celeritate protrudit. bis dedit, qui properat. bis qui læta mente, læta dedit dona, magis etiam qui preces votaque præuertit, Deum imitatus.

Hanc munificentiam amplectetur Superior, & amabit vt felicis imperij matrem. auerſabitur ſordes & tenacitatem: quæ Veſpaſianum obſcurarunt, egregium cætera Principem; exitio verò fuerunt Perſeo Macedonum Regi, Galbæ, Pertinaci, Mauritio, Pho-

cæ Imperatoribus. Veſtitur Gieſi lepra: anathematis reus fit Achan: Saul Amalecitis deuictis Dominici mandati præuaricator regno excidit: Iezabelis ſanguinem poſt Nabuthæ hæreditatem lingunt canes; Ananias & Saphira, infelici morte auaritiam ſignant. Fortiter in hoc vitium inſurgit Baruch cap. 3. *Vbi ſunt qui argentum theſaurizant & aurum, in quo confidunt homines: exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt.* fortiùs etiam Iacobus ca. 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt; & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt; aurum & argentum veſtrum æruginauit; & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* & ante hunc Sapiens Eccli. 10. *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet.* ſeuerè etiam Gentium Doctor 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Et ſecutus hunc Chryſoſtomus Orat. in auaros: *Quid manibus auari ſceleratius? quid oculis*

impudentius & caninum magis? non aſpicit homines vt homines, neque cælum vt cælum, ſed omnia pecuniam eſſe putat. Maiora dici non poſſunt in fugam, in odium; ſed neque fortius minæ iaculari. eleganter & verè Saluſtius: *Auaritia fidem, probitatem, cæteraſq; bonas artes ſubuertit. proq; his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit.* Quo fit vt Ciceronis teſtimonio 2. offic. *nullum* ſit *vitium auaritia tetrius, præſertim in Principibus ac rempublicam gubernantibus.* prodigalitate longè deterius. cùm prodigus alijs bonus, ſibi malus; auarus nulli bonus, ſibi peſſimus ſit: illi multa deſunt, huic omnia: amicos ille parat, hic hoſtes: fruitur ille ſuis, hic in magna copia pauper eſt. ac licet opes profundere in Principe malum ſit, peius tamen eſt nullas largiri. ille licet in ſe pauper, in ſuis tamen diues eſt; hic in ſe & alijs pauper eſt. & prodigo quidem exhauſto ſemel ærario, ſi qua bella ingruant, ſi quæ grauior imperij neceſſitas, neruum & gerendorum adminiſtrã pecuniã deeſſe verum eſt, adſunt tamen amici & præmiorũ ſpe miles, & faciles ad imperia ſubditi, qui ſciant ſub profuſo Princ. perrarò

irremuneratam virtutem quaſi naufragam abituram. auaro verò in locuplete licet ærario omnia deſunt: pecunia, amici, miles, ciues. neque quiſquam gratuitò pro alterius ſalute caput obiiciet, aut pro auaro ſanguine ſanguinem profundet ſuum, pręmia in arma & vulnera vocant. hæc ab auaro nemo prudens ſperet. & quis ſudorem ſparget, quis vulnera excipiet parcâ manu medicanda? ſpongia ſudoribus detergendis, vulneribus mitigandis, præmia ſunt. vis gratam hilaremque tuorum in ſudoribus, ſanguine, vulneribus, audire vocem, *Benè eſt*, &, *habeor benè*? præmia oſtenta. hæc à prodigo ſperari poſſunt, ab auaro non poſſunt. Quid? quòd mori ſub grato Principe, militi dulce: ſub auaro, bis mori eſt. ita ſperanda negandáve munera, leniunt augéntve mortem, vt ſuauem præmia reddant, triſtem auaritia. Et cùm ferè prodigus læto hilarique animo ſit, triſti moroſoque auarus; ille explicato & candido, hic tecto & ſuſpicionibus pleno; fit vt læta illius imperia lætis animis, triſtia huius mœrenti pectore ſuſcipiantur. Et ferè auarus crudelior prodigo eſt, faciliuſque ille
in

ſuorum it ſanguinem, quorum ferè fortunis inſidiatur. iam cùm auarus propè omnis timidus ſit, timidus ferè crudelis; quid meritò vereri quiſque ab auara dextera debeat, ſi imperium acceſſerit, nemo non videt. vt non vnius Principis exemplo doceri poſſit, tantam plerumque in illis ſitim fuiſſe ſanguinis, quanta fuerat pecuniarum. Suſpicio enim & timor plurimùm decurrunt in ſanguinem ſi potentia adſit. neque hîc prodigalitatem probo; damno. mitius tamen vitium eſt, minuſq; barbarum continet quàm auaritia. liberalitatem mediam inter hæc extrema probo. maximè in Superiore Religioſo, à quo tam longè omnis abeſſe auaritia debet quàm adeſt Religio. Et turpe ſanè eſt contemptorem opum, opibus incumbere: calcata repetere, turpiſſimum. ſemel ſe exuit? æternùm abdicaſſe debuit. ſemel abdicat omnem ſanctiore voto obſtrinxit? ſeruanda nullo ęuo moritura fides Deo eſt: quid quærit opes quas repoſuit cælo? aut retrahere vult vt fruatur terris, careat cęlo? fatua commutatio momẽtanei cum æterno. & ſignum omnino eſt viliſſimæ mentis, degeneris animi,

mi, effuſo ſemel vniuerſim auro, recolligendo fruſtatim incumbere: quaſi pœniteat, tædeatque victoriæ de opibus relatæ. Illud verò miſerrimum, omnia largiri, & minutis inhæreſcere potuiſſe. omnia quaſi vno iactu mittere in mare, & lento adnauigatu minutatim naufraga colligere. erogauit cum voluptate quidquid habebat, quidquid ſperare poterat opum; cum mœrore minima largitur. ita dum à magnis tanquam onere ſe leuat, opprimitur à paruis. indigna res viro poſt magnorũ victoriam, ab imbelli cadere, quaſi cæſo Goliade, pigmęo ludibrium fieri.

Quare ſi ſuorum pacem Superior amat, ſi domeſticam quietem; ſi obſequentes deſiderat, ſi ad ardua alacres, promptos ad pericula, lætos in aduerſis, moderatos in proſperis, ac in vtramq; fortunam æquè paratos, ſi oblocutionum, detractionum, æmulationum, fraudum, inſidiarum vacuos; liberalitatem amplectatur, vt omnis religioſi amoris ac beneuolentiæ neruum, perẽnitatis robur, tranquillitatis fontem, venerationis ac obſequentiæ matrẽ. ferè enim ab vna Superioris in ſuos munificentia, quidquid ſperari

in

in Religione poteſt magnum, diuite vena profluit. ac vix ab alia virtute plus amoris. cùm à locupletiſſima huius ſcaturigine, ingentia proſiliant neceſſitudinum flumina, quibus tota domus felici copia proluitur: & quidquid in Religione aſperum ac amarum eſt, mitigatur ac dulceſcit. incredibile enim dictu quantum poſſit benefica Superioris dextera, quantum religioſa largitas. molleſcunt hac dura omnia, & altiſſimi difficultatum montes ad humilem deducuntur arenam, ingentia præcipitia vallibus æquantur, nec quidquam arduum eſt munificētia imperante. & antè iuuat liberali occumbere dextera, quàm auara ſeruari: antè in munifici Superioris ſinum animam effundere, quã capitis crinem auaro ſacrare. tantus amor liberalitatis, tantum odium auaritiæ eſt. omnia deſint liberali, amabitur hac vna virtute; omnia adſint auaro, contemnetur hoc vno vitio. etiã errores illius teget liberalitas; virtutes huius deprimet auaritia; vt laus illi inter vitia, contemptus huic etiã ſit inter virtutes; cõmiſeratio illi in lapſu, huic gaudiũ; excuſatio illi in errore, huic in virtute dãnatio.

tantum in vtramque partem liberalitas & auaritia poſſunt. diuturnum illi omnes imperium, momentaneum huic optant. omne illius in imperio tempus breue, omne huius longum videtur. illum ſibi dari vouent omnes, hunc auerſantur. dura illius imperia, ſuauia, ſuauia huius, dura cenſentur. quid? quòd verbera illius mollia, oſcula huius aſpera videantur? tantum mitigat liberalitas, tantum exaſperat auaritia. ſeruatum omnes liberalem volunt, perditum auarum illum ſudoribus, vulneribus, ſanguine protegent; hunc omni robore oppugnabunt. proruentem illum erigent, ſtantem hunc euertent. iucundiſſima illius abſentis memoria, grata præſentia; ingrata huius & vel ſola memoria triſtis. grata in illo omnia præter vnam mortem; ingrata in hoc omnia præter vnã mortem. niſi quòd aduerſa huius læta excipiamus fronte, triſti illius. denique in liberali patrem, in auaro dominum cognoſcimus; quare & in illo filiorum, in hoc ſeruorum perſonam induimus. hinc illo imperante plena omnia hilaritudine ac amore videas; hoc duce natãt mœroribus, timoribus, mutua

tua

tua diffidentia. proſtrata iacet fiducia, candor, ſinceritas; in quorum locum diſſimulatio & doli ſuccedunt, perenneſque oblocutiones ac detractiones inſurgunt. illius inopiam ſubleuare conantur omnes; huius opes deprimere. & cùm illius in paupertate generoſos munificoſque animos ament omnes: huius in ſummis opibus auarum pectus oderunt omnes. munera etiam à munifica manu tenuia exoſculantur omnes; augusta ab auara dextera donaria contemnunt omnes, & tenuia deputant, quia à tenaci, à lenta contractaque manu porrecta.

CAPVT XII.

Fortitudo in aduerſis.

OPtanda hæc meritò ſi qua virtus alia Superiori eſt. animum proinde firmet Superior, & aduerſantibus maiores, frequentatis in hanc rem meditationibus ſibi paret, aſſueſcat à paruis quæ vltro etiam acceſſat, vt ad magna paulatim obdureſcat animus. Exempla verò crebrò ſibi proponat Chriſti ſui, Sanctorum, in feminis maximè ſu-

ſupra ſexum, in pueris ſupra ætatem. ac illuſtres potiſſimùm in eo genere grata memoria recolat, imitandoſque proponat. Cogitet ab omni æuo, omniq́ue retro ſæculorum memoria magnos vbique viros maximis aduerſitatibus tritos, ac non niſi per illa magnos. quis ſciret Stephanum, Laurentium, Polycarpum, Ignatium? quis Barbaram, Agatham, Cęciliam, Luciam, Flauiam, Agnetem, Chriſtinam, Suſannam, Catharinam, ſi deeſſent lapides, craticulæ, ignes, leones, ferrum, forcipes, balnea, flammæ, exilia, gladius, fornaces, ſecures, rotæ? quis Iobum noſſet, niſi abacti greges, filij vna ruina ſepulti, corporiſq́ue conflictationes, vxorq; malis delaſſata, clarum orbi dediſſent? quis Martyres cælo & orbi magnos, niſi perſecutor gladius dedit? iacerent ignota terris, forſan & cælis nomina, niſi per ignes & tormenta tanquam per gradus cælos conſcendiſſent. adeò ſi ſuſtuleris aduerſa, cælum tollam. non & Chriſtum? deme vincula, flagra, ſpinas, clauos, crucem, quæ Domini corpus, tēpora, manus, pedes, fœdauerunt, lancinauerunt; quid reliquum mihi erit in ſalutem?

Digitized by Google

ita ſola aduerſa terris cæloq́ue verè magnos dederunt. Dum enim tortor, gladius & martyria deſæuiunt, per ignes, vngulas, ſerras, prunas ardentes, beſtias, picatam veſtem, liquatum plumbum, infamem ſtipitem, ſecures; exurgunt magni qui ſeipſos pro Chriſto ſuo funerantes renouant. etiam olim apud ſæculum, cùm pugni quaſſant, calces arietant, cæſtus dilaniant, flagella dilacerant; coronæ & gloria, priuilegia publica, ſtipendia ciuica, imagines & ſtatuæ, & qualis præſtari poteſt de fama æternitas, promittitur. neque pugilum interim quiſquam agonis ſui præſidem ſugillabat, quòd homines violentiæ obiectaret. corona nimirum premit vulnera, palma ſanguinem tegit, cùm plus victoriatum quàm iniuriatum eſſet. ſed neque quiſquam medici manum de ferro & ignibus crudelem valetudine reddita incuſabit. fructus nimirum operis horrorem excuſat. & ille inter medici manus gemens & mugiens, optimas poſtmodum artifices deprædicat, & ſæuas negat, & mercede cumulat. Ita per ardua ad optata deſcenditur, vt nec ſperari quidem poſſint magna, niſi per

ar

ardua & magna. hinc nemo miles è puluillo & delicijs, aut matris ſinu, ad bellum venit; ſed è propugnaculis & lorica, è ſole & puluere. etiam in alta pace armatus campum decurrit, foſſam molitur, ſudore madet, & dum hoſte caret, ſocium hoſtem fingit. ita & athletæ dum robori ædificando vacant, ſegregantur in diſtrictiorem diſciplinam, à lætioribus abſtinent, fatigantur, tantòq; plus de victoria ſperant, quantò plus in exercitationibus laborarunt. Quid faciet Religioſus æterno præmio propoſito? è lecto & molli pluma, an incommodis exercitatus, ad vltimi tribunalis ſtadium properabit? timebit gladium, crucem, ignes, & ingenioſum in tormenta carnificis ingenium? at multi vltrò hæc ambiuerunt, famâ, irâ, gloriâ ſtimulante; Lucretia, Mutius, Empedocles, Aſdrubalis & Peti vxor, Cleopatra, Athenienſis meretrix, & è mortario Philoſophus; hiſtorias replent ac omni æuo non pauci eadem auſi ſub præmio laudis humanæ. Et trepidabit ad illa Religioſus æternitate propoſita? aut dubitabit pati pro veritate in ſalutem, quod alij affectauerunt pro vani-

nitate in perditionem? quid times ignem & crucem? breue tormentum eſt, ſi magnum eſt; ſi paruum, ferri poteſt. iam ſi tantum terrenę glorię licuit de corporis & animi vigore, vt gladium & beſtias contemnerẽt multi, an non meritò exclamem, Quid ſunt tormenta ad conſecutionem mercedis æternę? & quando vllo ſæculo Deus virum bonum in deliciis habuit? *Solus* Hieronymo *Salomon* in iis fuit, *& forſan ideò corruit. caſtigat autem omnem filium quem recipit. nónne melius eſt breui tempore dimicare, ferre vallum, arma ſumere, laſſeſcere ſub lorica, & poſtea gaudere victorem, quàm impatientia vnius horæ ſeruire perpetuò? nihil amantibus durum eſt, nulli difficilis cupienti labor eſt.* In eandem ſententiam Auguſtinus: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit, & tu fortè exceptus eris? ſi exceptus es à paßione filiorum, exceptus es à numero filiorum.* Chriſtianè omninò Philoſophus: *Nihil mihi videtur infelicius eo cui nihil vnquam euenit aduerſi. non enim licuit illi ſe experiri. indignus viſus à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauiſsimum quemque refugit. proſpera in plebem ac vilia ingenia deueniunt. at calamitates terroreſq; mortalium ſub*

 iugum

iugum mittere, proprium magni viri eſt. gubernatorem in tempeſtate, in arce militem intelliges. calamitas virtutis occaſio eſt, nunquam virtus molle documentum eſt.

Calumniantium metuis calamum & linguam? non tangunt hæc extremam cutem. vis vincere? contemne. magis etiam? ride. quod tectis grando, quod fluctus rupibus, hoc calumnia ſi in virum inciderit; diſpungeturque eodem exitu, quo telum in petræ conſtãtiſſimæ duritiei libratum & retuſum; & ferè repercuſſum in eum qui emiſit reciproco impetu ſæuiet. ne verere. iras molitioneſque ſuas maledica lingua bibet; improbus venena hauriet calamus in domini caput itura. times? triumphabit calumnia, & victorem illius currum vinculis cohoneſtabis. repones, & calumniam calumnia repercuties? victrix illa ſtabit, & hoſtibus fabula factus vulgi ludibrium iacebis. depones in amici ſinum? ſi ſine muliebri querimonia, benè; ſi cum riſu, meliùs; ſin cum gemitu & lacrymis fœmineo medicamento, cecidiſti. palàm te aut priuatim purgabis? ea moderatione vtere, ne te læſum aduerſarius arbitretur,

tur, ne gaudeat ex vulnere. ſed nec purgabis quidem, niſi ſcandalo auertendo, & Chriſti tui exemplo, animo & fronte pacata, verbis innocentiam teſtantibus, contemptum loquentibus, nec quaſi tua interſit, ſed aliorum.

Verùm grauis calumnia eſt, grande vulnus datura. nullum dabit, ſi contempſeris. quin adeò laudem & præmia cœlo terriſq; dabit, ſi contempſeris. verùm alij: Quo tibi aliorum iudicia, ſi innocentia ſteterit? aut quid metuis homines damnantes, ſi Deum habes præmiantem? nulla innocentia ſine præmio eſt. Sed opinio hæc ſerpit: magis etiam cælo pręmia. at durum eſt innocentem pati. malles nocentem? graue interim eſt tot linguis calamiſque percuti: leue erit ſi contempſeris. excludent te dignitate & munere: non excludent cælo. derogabunt orbe toto nomini: cohoneſtabunt Deo laudatore, præmiatore. multorum hîc magnorumque de te iudicia concident: accreſcent cælo. amici deſtituent: non fuerunt. non deſtituiſſent innocentem, ſi amici fuiſſent. deſtituunt? hoſtes fuerunt amici pallio te-

cti; & meliùs ab his quàm deſtitui à Deo. incomitatus ibis? nemo incomitatus eſt quem ſocia comitatur virtus. nudum te & inornatum deſerent tui? nemo nudus aut inornatus eſt quem veſtit ornatque innocentia. viduaberis delicijs? nulla voluptas innocentiâ maior. contemnent plurimi? vnus non contemnat Deus. excludent familiaritate? nulla familiaritas diuina certior: & ferè cõiunctior Deo eſt, qui diſiunctior hominibus eſt. ſuſpicionibus natabunt? non iactabitur his Deus oculatus intimorum teſtis. damna te manent terris? merces donatur cælo. exilia hîc & vincula denuntiantur? nulla metuit cui cæli ſpatia patent. non audiet Superior? audiet Dei ſeruus & heres, & laboribus defunctus in alta pace Deo ſuo iunctus pacatos hilareſque exiget dies, eo lætiores, quo moleſtijs liberiores, curiſque vacuus ac tempeſtatibus Superior, in vero tranquillitatis portu inuidiæ ereptus, deſiderata fruetur quiete; eo felicior, quo curis, ſollicitudinibus, æmulationibus, inuidentium calamis & linguis ereptus, poſt tot æmulas iactationes, tot barbaros detractorũ
flu-

fluctus, totque efferè pugnantium inter ſe calumniarum flatus optata potietur malacia. Verùm non imperabit. an neſcis maximum imperium eſſe imperare ſibi, refrenare libidines, ſpernere voluptates, iracũdiam tenere, coërcere auaritiam? his qui imperauerit, imperium tenebit; qui paruerit, licet purpura fulgeat, & latè orbi dominetur, miſeram ſeruitutem ſeruiet.

Quod ſi ab externis calũniæ inſurgant; facilior defẽſio, minus periculũ eſt. ſi à domeſticis & eiuſdẽ contubernij, difficilior propugnatio, maius periculũ eſt. nã in illis aperto ferè bello, in his ex inſidijs impetimur. quare cũ occultus apertè nocẽtior hoſte ſit, minorq; ab hoc quàm ab illo metus ſit; mitior ab externo, quàm à domeſtico calũnia exſurgit. & externũ ferè præcaueri malũ poteſt, domeſticũ anteuertere difficillimũ. omni verò carere, alterius, nõ huius ſęculi eſt.

Ac parare animum Superior debet eo magis, quo celſiori loco eſt: alta enim æmulatio petit, depreſſa negligit. ſed neque odia calcata tangunt; ad erecta extollũtur. neque lapſus è plano, è præcipitio timendus eſt. in

Digitized by Google

hoc verò Superior omnis verſatur, in humili ſubditus; ille in præcipiti & in lubrico, hic in ſolido pedem figit. quo magis vigili illum decet eſſe oculo & mente. Vt verò Superiorum quiſque omnem ſibi immunitatem aduerſantium polliceatur, fatuum eſt. nam cùm in oculis occurrat omnium; incurrit in cenſuram. maximè in tanta acri: in ſingulaque faſtidientium cenſorum turba, qui nulli minùs quàm Superiori parcere didicerunt. Hîc viri Principes iurium ſuorum acerrimi propugnatores, quacunque, nulla etiam cauſſa, inſurgent; alibi toga aut ſago clari; hîc, ſi pecuniola in medio eſt, ſanguine. adeoq; & vberibus iuncti. ita agellus vnus vtero vnos diſiungit. ibi è nobilitate aut plebe aliquis; ſępè conſertis viribus, animis, lingua plures. cauſſam aliqui adferent, alij nullam, quaſi iucundum ſit gratuitò æmulum eſſe, tanquam ſi quis in ſanguine pro-pter ſanguinem eat. Et vniuerſa nonnunquã in vnum caput inuolabunt regna & prouinciæ. quid faciet Superior? fortiùs etiam pedem figet, quo validiùs impetitur. inſurgant agmina, diademata, ſceptra, ac quacunque

deni-

deniq; purpura magni; ſi pectori ſtat innocentia, ridebit conatum omnem, omnibus in Deo ſuo, Ieſu ſuo, maior. aperto marte, doliſque vrget? ſtabit interritus cõtemptor omnium, & vno innocentię clypeo, quacũque iaculata manu repercutiet tela. premit paupertas? nemo aqua & pane pauper eſt. & contentus ſatiari ſtomachus, ciborũ diſcrimina ignorat, luxus inuenit. Iam quãti Philoſophi contemptores opum ſunt? quãti eremi cultores? quanti cælo iam diuites, ne calcarentur, calcarunt aurum? & nemo cælis pauper eſt. quin ferè diues cælo, terris pauper eſt. Iam Chriſti paupertatem quis attinget? æmulabitur hanc quiſquis illum cogitat, & exultabit non cum Philoſopho aſſe vno, ſed medio ſatur. Verùm grauis egeſtas domeſticis eſt, & exſurgitur ab hac ſępè in Superiorem. magis ſuis, quàm ſibi declinabit extremam ſi poteſt: mediam amplexabitur, & amicã exoſculabitur. gaudebitq; Chriſto ſuo pariari, ac de æmulæ paupertatis prętogatiua exultabit totus. nec difficulter domeſticos pacabit, ſi boni, ſi Dei ſui ęmulatores, imitatores; ſin improbi, gaude-

bit hac percuti. amant Deum? amabunt ſociam illi egeſtatem. non amant? premi hac merentur in pęnam. amant? donari hac merentur in ſalutem, in præmium. & quis amãs egeſtatem vereatur cælo locupletandam? quis non amet vt matrem, cuius diuite lacte cælo paſcitur, cælo fouetur? Hinc magnum illud cęlo depromptum: Matt. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* & dictum pro paupertate contra opes à Saluſtio verè: *Sæpè audiui, qui reges, quæ ciuitates per opulentiam magna imperia amiſerunt, quæ per virtutem inopes cœperant.*

Quid ſi vndique inuadunt aduerſa, & totis fortuna campis irruat, impetat molaribus tanquam miſſilibus, ſaxa pluat, vomat rupes, iaculetur cælo terriſq; fulmina, & vſque & vſque totis aduerſitatum cingat mõtibus? ridebit has minas quiſquis ſeriò Deo ſuo iunctus; & prouocabit etiam vltrò minitantem fortunam; ruetq́ue in ruentis amplexus illius, tanquam in amicum pectus, à quo æternatura ſperat præmia. & non ab hac ſola? nam à proſperiore quid exſpectet præter metum, & implexa illi indiuiduo nexu

xu pericula & damna? ſolet enim ferè illa quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem caſum reſeruare. ac licet aſpirare diu videatur, ad vltimum felicitati non ſufficit. Nihil hominibus æternum eſt. voluũt mortalia vices crebræ, & omnium rerum fuga fit. hîc titubantia, in ſolidum conuerſa ſunt; ibi rupes deſederunt. nemo tantus fuit, cui nõ timeri potuit carnifex. è ſecuribus etiam & ignibus ad ſceptra itum eſt. ita iactamur mortales, fortunæ pilæ. vicit hæc qui contempſit, fortuitis fortunáque maior.

Diſcutiet interim ſe Superior, & rimabitur ſingula ſeuerus ſui cenſor, nec vlli minùs quàm ſibi ignoſcet. ſi delictum repererit, corriget. & quidquid error inquinauit, quidquid ignorantia, pœnitentia verret. quid ſi iteretur? iteretur pœnitentia. nam & cùm redeunt morbi, repetitur medicina. ſed neque differat emendationem; aut tegere delictum, pudoris magis memor quàm ſalutis velit in interitum. facilem in veniam Deum & homines habet delicti confeſſio. ſin innocentiam animus teſtatus fuerit, rideat quacunque manu & ore iaculatas mi-

nas. terrent ab executione rei piè prudenterque conceptæ? ſtabit inconcuſſus, nec flectet ceruices minis. & dicet cum magno viro, Dignitatibus exui poſſum, iacent ſceptra. ad extrema terrarum exul mitti, factum diademati. adeoque & mori poſſum, omnes eadem lex manet. abduci à recto & vero non poſſum. nam & muneribus deſtitui gratum eſt, & vitam ponere facile eſt. quid enim promptiùs quàm exuere animam veſte qua cingitur? à iuſto bonoque decedere omni morte grauius eſt. ſtabit ergo in ſententia, nec purpuræ, ferro, gratiæ, ſanguini, opibus, dignitati, potentiæ quidquam dabit; dabit Deo, veritati, iuſtitiæ. dilanientur membra, ſubiiciantur ardentes prunæ, immineat capiti ſecuris, nouacula iugulo, ſæuiant vngulæ, vincula, & lento torreantur igni membra, bonis iuxtà maliſque fabula; dicet illud, Non dixi torqueri corpus non poſſe, mori non poſſe; dixi à vero bonoque decedere me non poſſe. & vt omnia in corpus tortor poſſit, quid poteſt carnificis ingenium in meliorem partem mei, animam? hac ſtabo. nihil

hil in hanc tortor, ſolus poteſt Deus. præmia minaſque fortunæ iuxtà habeo, nihil muto. Deo vni ſeruiam, vni ſtabo, vni cadam, vni obſequar. hoc qui fecerit, ſtabit, orbi miraculum, & magnæ hiſtoriæ magnam partem implebit, magnamque cæli partem laudatore ac præmiatore Deo occupabit.

Quid quærimus magnitudinem terris? cælo conduntur magna. quid iudicia aucupamur humana? ſola Dei falli neſciũt. quid hoſtiles veremur molitiones? ſecuri viuimus Deo protectore. quid maledicas linguas & calamos timemus? nihil illa adijciẽt, nihil adiment virtuti. quid dignitates circumſpicimus morituras? amemus æternas, quid gratiam aucupamur humanam? momento vertitur. quid iudicia pertimeſcimus aliena? ab eodem laus & damnatio procedunt, & momentum ſępè medium eſt. quid expalleſcis ad ferrum? latam cęlo ianuã dabit, quid ad ſicarij exhorreſcis nomẽ? non factus ſceptri dominus qui vitã contempſit ſuam? vt verum illud ſit: *Contempſit omnes ille, qui mortem priùs*. quid ad exi-

lia trepidas? non omnis viro forti gleba domus, omne deſertum patria eſt? ſed quid illud toties pauidis decantatum labris? nimirum: *Si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ*. Verùm cadendum. nec primus, nec vltimus. multi me anteceſſerunt, omnes ſequentur. Morieris. ad hanc conditionem cuncta gignuntur: qui cępit, deſinet. & non dulce & decorum eſt pro vero mori? aut nō *mors æquè fugacem ac fortem perſequitur virum? aut parcit imbellis iuuentæ poplitibus, timidoq; tergo? omnes eôdem rapimur*. mors omnibus finis, multis leuamen & remedium fuit. & nō qui mori didicit, ſeruire dedidicit, vt hoc beneficio mors optanda ſit? Bene Ambroſius de bon. mor. *Tranſitur à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem. non igitur te nomen mortis offendat: ſed boni tranſitus beneficia delectent. quid enim eſt mors niſi ſepultura vitiorum, virtutum ſuſcitatio?* Et alibi: *Si mors malam, quomodo iuuenes non timent fieri ſenes, nec finitimam mortis verentur ætatem?* Eleganter Chryſoſtomus hom. 5. ad populum Antiochen. *Quid eſt mors? ſomnus conſueto longior. itaque ſi mor-*

mortem times, time & ſomnum. Et quis peregrinus & exul timuit redire aut properare in patriam? patria nobis cælum eſt, peregrinamur hîc, & primorum parentum noſtrorum ſcelere exilio damnati, miſeram vitam trahimus. quid mortem timemus, quæ ſola nos Cypriano teſte reſtituet è qua excidimus, patriæ? & quid refert annos extendiſſe ſi moriendum eſt? & quò mihi ſæculum ſi in momento quo clauditur, rapior? quid plus viginti, centum dabunt anni, vbi ad metam ventum fuerit? abeunt vnus & mille, nec diſcrimina poſtquam euolarunt, norunt: nulla maiora fugientia quàm lenta iacula veſtigia trahunt. nec video quid magis, qui ante primos annos, quàm qui fatigatis raptus eſt, queri poſſit, quàm quòd citiùs fretum enauigauerit. in freto enim viuimus omnes, portum morte tenemus. quid querimur de celeri nauigatione? de tarda fòrs meritò quis queri poſſit, de citata nemo.

Sed graue tot æmulantium iudicijs ſubſterni, & fatuas ferre cenſuras prudenti. durum: ſed *leuius fit patientiâ quidquid corrigere eſt nefas.* alieni ingenij hæc ſunt. emendatio

in manu tua non eſt. quæ tua ſunt corrige; aliena ferenda ſunt. nulla vis externa ingenijs imperat. etiam de Deo libera erunt iudicia quid homo ſperas? verùm ab improbis non rarò ferre. velles à probis? quid ſi à probis? errant. duc in vîam. non potes? feras. patientiæ præmia cælo reconduntur. at quis tenebit colorem, feretque ſuorum & aliorum impetum? *Iuſtum & tenacem propoſiti virum, non ciuium ardor praua iubentium, non vultus inſtantis tyranni, mente quatit ſolida.* non deſit mens recti conſcia ſibi, non animus cælo Deoque infixus; non deerunt robora, non inuictum aduerſantibus pectus. At graue eſt his adminiſtris exui bonis? graue eſſet ſi bona exuerent cælo. donant. & quò mihi cibus ſi non expletur fames? quò opes non extincturæ ſitim? nam & *creſcentem ſequitur cura pecuniam maiorumq; fames.* & non *multa petentibus deſunt multa? bene eſt, cui Deus obtulit, parca quod ſatis eſt manu.* Et quis vnquam diuitum dixit, Satis eſt? & non ab ipſo auro plura concupiſcere diſcimus? quando illud poſuit modum? Et quis pauper? non qui pluribus indiget? illum verò egere pluribus, qui plura pe-

petit, certum eſt. plura diuitem petere experientia nos docet. vt iam magnas inter opes inops ſit, bis pauper: voto, & vſu. Non miſerum dignitatibus & honoribus ſpoliari? miſerum ſi æternis ſpoliaremur. donamur illis. Sed magna me tenet ſolitudo? adde illud Poëtæ: *Et iam dente minùs mordeor inuido.* & non beatus qui procul negotijs, ſolutus omni cura ſeruit Deo? & quæ felicitas maior optari poteſt quàm ſibi Deoque viuere? non viuit Superior ſibi; viuit alijs, & plus etiam plerumque alijs quàm Deo, cùm maximam vitæ illius partem ſurripiant alij. vt ter felicem illum meritò dixerim, qui curis exoneratus, inuidentiæ ereptus, nulla linguarum calamorumq; fabula pacatos dies pacatioribus adnectit noctibus, nulla iam odiorum oblocutionumq; materia. & licet non ſplendeat muneribus; non obfuſcatur etiam indecoro inuidentium puluere. non lucet terris; ſed cælo intaminatis virtutum magnarũ fulget honoribus, non cingitur ſalutantium gregibus; ſed neque adulantium. non videt crudis occupari atria ſalutationibus, ſed nec detractoribus. non patitur ad occurſum ſuũ

de-

decreſcentes; ſed neq; ciconias à tergo pinſentes. caret conuiuantium gaudijs. volatica illa ſunt, vix extremis pennis tenentur; non caret æternis, ſed nec ſolidarum virtutum internis. & quid ſunt conuiuiorum gaudia, niſi inſanientium mendicabula, libidinum flammæ, inuerecundi ignes, detrahentium flabra? quid denique niſi laſciuiẽtium ſcholæ, ac priuati pudoris publica proſtitutio? deſtitutus expedituſque his Superior canet cum Poëta:

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis ſaturat quies:
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio.

Denique ſi Superiorum commoda cum incommodis componamus, tanto illa ab his numero & magnitudine vinci reperiemus, vt fatuus meritò haberi debeat quiſquis ſuperioritatũ ambitu tenetur. vt commiſerationibus digniſſimi ſint, quicunque inſana hac prurigine ac ſcabie titillantur. & fingamus aliquid honoris; tantis tamen ille aduerſantium molibus obruitur, vt tam

mo-

modica mella tanto felle emi non debeant. aliquid abblanditur gloriæ; ſed tantis illa venenis intingitur, vt nemo prudens tanto natantia toxico fercula amauerit. imperare etiam magnum & dulce videtur; ſed tanto abſynthio miſcentur hæc dulcia, vt caruiſſe dulcius ſit. magnitudo verò & quæ hanc comitatur veneratio, tantis inuidentium, detrahentium, mala imprecantium, molientium molibus cingitur, totque montibus colles illi integuntur, tot malis bona illa repercutiuntur, vt inſanię quoddam genus ſit imperium amare. ad quod ſi quis inuitus vocatus fuerit, paret animum ad ardua, & inter dignitates & honores proponat ſibi illud Poëtæ imitandum:

Nec tamen hîc mutata quies, probitaſq; ſecūdis
Intumuit. tenor idem animo, moreſq; modeſti
Fortuna creſcente manent.

maximè cùm dignitatibus ferè adnexa calumnia, quaſi honorum famula detractio ſit. Iam cùm præcipitia ex alto ſint, quid ſecuritatis eſſe poteſt in pendula ſemper dignitate, in fugitiuo honore? quoque certiùs pedem in hoc lubrico figat, credat

ſibi

ſibi iam olim dictum, *Periculoſæ plenum opus aleæ tractas, & incedis per ignes ſuppoſitos cineri doloſo:* certoque ſibi perſuadeat, pro cultu vno, commodo vno, ſuauitate vna, centum aduerſantia procurſura, centum pro vno bono mala naſcitura, quid faciet? deſperabit? quin maiores animos ſumet, & obdurabit mentem frequentivſu ac meditatione. &, *Duris vt ilex tonſa bipennibus, nigræ feraci frondis in Algido, per damna, per cædes, ab ipſo ducit opes animumque ferro.* ſic à difficilium incurſibus animum induet auida nimirum periculorum virtus eſt. nec quid paſſura ſit, ſed quò tendat, cogitat: quæ enim paſſura eſt, gloriæ ſuæ partem deputat. cogitet hoſtes, & inimica vndique agmina, domi, foris; nihil proinde cuiquam credat pœnitendum, nihil quod propalatum ruborem incutiat, nihil gratiæ, ſoli virtuti dabit, pro vero, pro bono, pro virtute non timidus mori. Deum denique cogitet & felicem æternitatem, laborum, ſudorum, conſtantiæ & patientiæ præmium, nec aliud. hac acie auctus inuictus ſtabit, hoſtibus, aduerſantibus, ac quacunque fortuna maior. Imperat? virum ſe præbebit.

ex-

exuitur imperio? lætus fruetur otio, & qui in tempeſtatibus ſiccis oculis *turgidum vidit mare & monſtra natantia, qui præcipitem Africum decertantem Aquilonibus, qui triſtes Hyadas & rabiem Noti*; poſt illas portum amabit, & lætus exinde naui & mari repudium dicet; ac Dei beneficium, ſalutem ſcilicet ſuam, periculorum memoriâ honorabit.

CAPVT XIII.

Conſultò omnia agat Superior.

TVtiſſima hæc imperandi via eſt. ſerias proinde deliberationes rebus agendis præmittat Superior, rerumque experientia aut innata prudentia primos conſilijs admoueat: ipſe verò tacitus antè apud ſe ſedulus veritatis inueſtigator, omni in alterutram partem affectu depoſito, momenta diſcutiet; proponetque rem ita ſuis, ne quis in vnam magis quàm alteram partem propẽſum illius animum percipiat. quòd illa ferè res cõplacendi quã veritatis ſtudioſiores, vel offenſionũ timidiores, quibuſq; minus

Digitized by Google

virilis roboris ineſt, in Superioris ſentẽtiam trahat. Cauebit verò ſtudioſè ne deliberationi priuata cõmoda miſceat; cùm *peßimum veri affectus venenum ſua cuique ſit vtilitas.* Aſſentitur Tacito Liuius: *Priuatæ res ſemper offecere officientq́; publicis conſiliis.* Liuio Saluſtius: *Omnes qui de rebus dubiis conſultant, vacuos eſſe decet. haud facilè animus verũ prouidet, vbi illa officiunt.* Et alibi: *Ego ita comperi omnia regna, ciuitates, nationes vſq; eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. vbicunque gratia, timor, voluptas, ea corrupere, pòſt paulò, imminutas opes, ademptum imperium, poſtremo ſeruitus impoſita.*

Gaudebit etiam in ſententijs ferendis ſuorum in dicendo libertate, nec verbo ſignóue alieniorem à perſona aut ſententia animum oſtendet. collaudabit potiùs conatum, animabitq́ue. ſternetq́ue comitate libertati viam; quòd illa optimorum conſiliorum teſtatiſſima regula ſit. nam ſi aut libertatem ſuſtuleris, aut periculum libertati ſit, defuturi omnino ſunt qui rectum ſuadeant.

In refellendis verò aliorum rationibus ſum-

ſumma moderatione vtetur: nec quidquam in his extra nudam propoſitæ rei veritatem ſpectabit. neque in dicenda ſententia acriùs aut mordaciùs aliorum dicta refelli ab aliis permittet; cùm hinc animorum naſcantur alienationes,& euertendorum conſiliorum ſtudia, quæ imperia plerumque ad interitum trahunt; cùm æmulæ hæ concertationes, non quid ex vero bonoque, ſed quod ad ſubuertendam aduerſarij ſententiam opportunum ſit diſquirant. excuſabit potiùs mitigabitq;, ſi quis errore ductus in apertè etiam nocitura prorumpat.

In rebus autem grauioribus, ſi moram patiantur, deliberando tempus concedet, quo paratiores ad ferendam ſententiam veniant: cùm præpropera ferè & callida conſilia non infrequenter pœnitenda ſecum trahant. vt benè Liuius: *Nihil magni diſcriminis conſiliis tam inimicum, quàm celeritas.* hanc autem *celerem pœnitentiam, ſed eandem ſeram atq; inutilem ſequi.* Et alibi verè: *Omnia non properanti clara certaq; ſunt, feſtinatio improuida & cæca.* Et: *Conſilia callida & audacia, prima ſpecie læta, euẽtu triſtia ſunt.* Vnde illud Thucydidis:

Duo

Duo aduerſiſſima rectæ menti, celeritas & ira. Prudenter proinde Demoſthenes: *Conſulere quidem oportet lentè, conſulta exequi feſtinanter.* ac in eandem ſententiam Ariſtoteles: *Celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandum autem tardè.*

Conſequetur hac agendi ratione Superior. Primò, vt certiùs optima deligat, cùm è variorum rationibus ſolidiſſima quæq; tutiſſimaq; in rem ſuam ſeligere non magni ſit moliminis. Secundò, vt, dum aliorum conſiliis tanquam viribus, aliorum iudicijs & rationibus, tanquam armata dextera ferroque iuuatur, promptiùs tutiuſque ad felicem res exitum deducat, quàm ſi ſolius ingenij ſui robore eas aggrediatur. Tertiò, vt pericula damnaque deuitet, quæ ferè in ferendis refellendiſque ſententijs ſe aperiunt: quæ eo faciliùs declinamus, quo aliena quaſi manu, depulſis quibus tegebantur nebulis, in apertam lucem deducta ſunt. Quartò, vt dum præuia matura deliberatione, ex aliorum iudicio res moderatur, non facilè in non emendanda præcipitia labatur; quę ferè ſubitis nimiaq; fiducia ſui laborãtibus conſiliis,

ſilijs, perpetuo quodam nexu colligata ſunt. Quintò, vt in infelicibus ſucceſſibus illud habeat ſolatij, non ſuo in re ſua, ſed alieno arbitrio ſtetiſſe. eueniant aduerſa, tuebitur ſe veteri prudentum dicto, Feci quod licuit, quod decuit, quod debui: prudētiæ leges expleui: peritiores in conſilium adhibui. aliter ceſſit? humanarum hæc natura rerū eſt. Ab vna non raro fortuita circūſtantia, fortunati infortunatiq; euentuum ſucceſſus proſiliūt. totaq; felicitas infelicitaſq;, ab incerta præterq; ſpem metumq; omnium, non magnæ rei acceſſione, tanquam à pertenui filamēto pendent. Sextò, vt faciliorem apud omnes erroris, ſi quis intercurrat, veniam cōſequatur, qui prudentum regulam ſecutus, alios in re ſua in conſilium adhibuerit, eorum iudicijs ſteterit, nihilq; eorum intermiſerit quæ ſapiētiſſimus quiſq; in re ſua adhibere conſueuit. Septimò, vt ſuos habeat factorum dictorumq; ſuorū propugnatores, laudatores. quos ſi negligit, optima licet deligat, è ſolo neglectu aduerſarios experietur. nec difficile erit in alieniore animo improbanda quædam reperire. ingenioſa omnis æmulatio eſt.

Digitized by Google

quæ cùm ſe neglectam arbitratur, in omnem ſe euertendæ ac infringendæ alterius ſententiæ formam vertet. probaſſet in deliberationem adhibitus, & Superioris ſententiæ magna approbatione acceſſiſſet. non fuiſſe adhibitũ, ſatis ad damnationem fuit. tantum valet aliquid alterius prudentiæ detuliſſe; tantumq́ue obeſt illam neglexiſſe, vt cùm contemptum ſe arbitretur, quem præteriſti, improbandi, obloquendi, detrahendi etiam modos reperiat; cùm verò aliquid ſapientiæ ſuæ putat concedi, prona manu in Superioris abeat voluntatem, illius ſententiam tueatur, fortemq́ue ſe cõtra oppugnatores propugnatorem opponat.

Neque difficilia hæc erunt Superiori, ſi ſibi perſuaſerit, nihil neque auctoritatis ſibi, nec opinionis apud alios bonæ decedere, ſi conſultò omnia faciat. quin adeò plus illi æſtimationis ac venerationis accedere, cùm tutiore certioreq́ue ingrediatur via. & cùm ſuorum perquiſiuiſſe iudicia obeſſe nõ poſſit, prodeſſe poſſit; non leuiter peccare cenſebitur quicunque illa negligit, quibus & ſuorum in ſe animos prouocat, ac tanquam

be-

bēneficio deuincit, & domeſticam pacem parat, pulſiſque animorum è neglectu prouenientibus tempeſtatibus, fluctus ſedat, efferoſque alienationum ventos, mutuarum conflictationum ac turbarum cauſſas componit, & ſe contra aduerſarios aliorum iudicijs tanquam auxiliario ferro armat; & certiùs multorum quaſi oculis res contuetur, multorumque conſilio, induſtria, ſolertia veritatem eruit, neque tam facilè labitur multorum manibus fultus, promptiuſque poſt lapſum erigitur, auxiliarijs aliorum copijs circumſeſſus. De vniuerſa ſanè hac re audet Tacitus: *plura in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geri.* Docemur hoc omnium vbique gentium hiſtoria. nec magnum robore vincere; vincimur à belluis. magnum conſilio vincere. quo vno validiſſimæ belluæ in regnorum exitium natæ, non magno molimine ſternuntur, vt dictum verè ſit; *Vis conſilî expers mole ruit ſua.* vt ipſa robora, ſi conſilium demas, in interitum ſuūm nata arbitreris, dum fatuo impetu feruntur in aduerſa, & hoſtilibus ſe armis improuida induunt. ita prudentia & conſilio

quæ à tenuiſſimis initijs ad ſumma excreuerant, nimia virium fiducia conſilio deſtituta, in cinerem & fauillam verſa fuerunt. orbis miracula ludibrium facta fuerunt. vt omnia regna hoſtibus calcata, conſilio antè deſtituta fuerint: non calcanda ſi quibus initijs creuerant, ijſdem ſe tutari voluiſſent. conſilio creuerant; ſtare eodē potuerunt. neglexerunt; perierunt. fabula præſidentia facti, qui conſilio admirationi erant, & qui in exemplum conſilio creuerant; præſidentia in exemplum ceciderunt. magiſtri facti poſteris præſidentis roboris conſilio deſtituti, qui magiſtri antè feliciſſimorum euentuum conſilio fuerant.

Neque deliberationes haſce in magnis tantùm grauibuſque adhibebit; ſed in medijs etiam, ac non rarò in paruis. credi enim non poteſt quantum hęc conſiliorum communicatio, ſubditorum in Superiorem affectus imprimat; quàm valido eos inter ſe nexu liget, quàm potentes propugnatores paret. Iam cùm contingat non rarò minimarum etiã rerum errores magnam maculam inurere: cũ minima magnis magno auxilio

eſſe

eſſe in ornatum & robur ſoleant, aut impedimento ad ſumma; cuitabit incommoda, damnaque non vanè metuenda, & certam ſibi ad tutiora viam prudens Superior ſternet, ſi etiam in paruis ſuos non raro in conſilium vocauerit. Accedit, in his aliquando quædam, in magnis profutura audiri. & cùm auditione peccari non poſſit, ſuperbię ac innati cuiuſdam faſtus eſſe videtur, audire nolle. maximè cùm conſiliorum delectus in deliberantis Superioris manu ſit. neque quiſquam improbare poſſit ſi tutiora quis deligat, quocunque demum auctore hæc nata fuerint. nemo peccat tutiſſima deligendo. peccant plerique nimia prudentiæ ſuæ fiducia, & labuntur immedicabiles plurimùm errores, nulla poſtmodum ſapientia emendandos. Scio prudentiſſimum illum haberi, qui à ſe non ab alio conſilio mutuatur; raraque iudicij ingenijque perſpicacia, profutura iuxtà obfuturaq; proſpicit, vt hęc ſagaci proſpicientia depellat, illa amplectatur. illũ verò nonniſi ſecundas obtinere, qui aliorũ prudentię innititur, doctus ſapiẽtiora ſeligere & ſequi. At quãti ſunt qui fortuitorũ

euentus ingenij quadam altitudine attingunt, nullius indigi?è multis millibus vnum fòrs alterúmue reperies. quē etiam cōſultius eſt aliena conſilia admittere, quin & vltrò depoſcere, nullius contemnere; ne quos poteſt amicos habere, hoſtes ſentiat. neq; prudens gratuitò ſibi aduerſarios parat, certus ab infimis magna damna inferri, magna capi. vt omnium ille prudentiſſimus haberi debeat, qui cùm conſilia ſua pectori incluſa habeat, ne tamen prodigo nimis in res ſuas affectu, in errorē voluatur, perquirit aliena, optimaque tutiſſimaque è ſuis alieniſque deligit. adeò etiam vt conſultius ſit, cauta ex aliorum mente conſilia cum ratione, quàm ſua ex caſu felicia arripere.

CAPVT XIV.

Conſtantia in rerum executionibus.

VArius hic à non poſtremis error exurgit, qui ad ſex potiſſimùm capita reuocari mihi poſſe videtur.

1. Primi generis ſunt qui in rerum exe-

ecu-

cutionem adeò callidè proſiliũt, vt antè feciſſe quàm cogitaſſe videantur; qui ad res non eunt, ſed decurrunt, tanquam ſi quis inopinato incendio latè omnia populante, domo propellatur. omne nimirum horum conſilium tanquam in medijs ignibus eſt. deliberationem ignorant, ac nec domeſticum quidem pectoris ſui ſenatum in conſilium vocant. feciſſe his deliberaſſe eſt; remque peregiſſe cogitaſſe eſt. nõ eunt illi in res, proſiliunt, aut veriùs inuolant; tanquam ſi quis ex ingenti præcipitio, vno ſe ſaltu deturbet, pertæſus moræ quam in prudenti lentoque lapſu ponendam videt. prima non dicam his conſilia, ſed primus illapſus quacunque fortuna iniectus pro ſententia eſt. damna daturus an ſecùs, ne cogitant quidem: vt fortuitò hi veriùs quàm conſilio viuant; fòrs benè, fòrs malè res cadent, excepturi hunc aleæ iactum ſunt. & dum audaci ſemper auſu, noua, ſpe meliorum aggrediuntur, ſe ferè ſuoſque in nulla pœnitudine aut conſilio emendanda conijciunt. nec antè finem præproperi faciunt, quàm præferuidis ſe nomenque vniuerſum conatibus in

extremam dedecorationem fatuo auſu impulerint. Infelices planè qui tales conſecuti Superiores fuerint. neque enim illi ſe ſolos, ſed domeſticos plurimùm omnes vna ruina conſepeliunt.

2. Neque his meliores ſunt qui mentis quadam inſtabilitate, nunquam certum rebus pedem figunt. quos ſemper in lubrico verſari videas; tanquam ſi per perpetuos globos inambulent. ita non eunt, ſed voluuntur, & alieno potiùs ductu quàm ſuo in incertum aguntur. volunt; momento nolunt; damnata priùs probant, probata damnant. & in conſilium hi quidem alios vocant, ſed ingenij quadam mobilitate à probatis dilabuntur. putes occurrentium rationum hinc inde momentis, tanquam paleam pugnantibus inter ſe ventis in diuerſum rapi. vt non tam rationes his deeſſe, quàm opprimi illis credas, ac in contraria propelli; cùm verum à falſo, noxiũ à profuturo, prudens à fatuo, certum à dubio, bonum à malo, ingenij labili nimiùm ac quodam quaſi fluido procurſu, dinoſcere non valeant. verſantur hi perpetuò tanquam in reciproco

Ocea-

Oceani æſtu ſeipſum perimente. in quibus nihil ſtabile, nulla firmata conſilia ſunt: ſed ad omnem rationem, tanquam ad omnem ventum vela mutant, ignari proſperum ab aduerſo, falſum à vero decernere. Moleſtiſſima hęc ratio inferioribus eſt. ac dum incertis Superiorum conſilijs aguntur, timidè ad imperata deſcendunt, experti; non ſemel, è medio curſu imperia mutari. nec rarò cum non leui nominis iactura ingenti rubore ſuo id factum. peritque vniuerſim hac conſiliorum varietate omnis de Superiore prudentiæ opinio; cùm eodem non rarò die probata improbari, laudata damnari vident; hîc ingentibus extolli rem laudibus, ibi immensùm deprimi; alibi vt ſequenda proponi, nec multò pòſt, tanquam a noxijs arceri. Signa hæc ſunt labantis ſemper animi, vt nulla in his prudentia certam ſibi firmamq; ſedem ſtatuere poſſit; cùm in ſemper mobili hac ac fugitiua animorum arena nihil ſolidi firmari poſſit quod ætatem ferat. Et ægrè tales virtutem ex vero amplectuntur, quæ animi firmitatem ac pectoris quoddã robur depoſcit. quod qui ſuſtulerit, in vitia iuxtà ac

Digitized by Google

virtutes pronos dabit, imò in illa proniores, vt quæ varietate quadam delectentur, gaudeantq́ue mutationibus, ne faſtidium nimirum earundem rerum frequentatio pariat.

3. Tertium genus eorum eſt qui tanta in omnibus ſunt lentitudine, vt perrarò manum rebus admoueant; credas mentis quodam frigore tam densè conſtrictos, vt nullis ſolaribus radijs colliqueſcant. quos neque precibus, neque rationum pondere propellas; cùm ſola ferè hos extrema damna, ſera plerumque emendatione, excuſſo quo detinentur ſomno, ad meliores cogitationes excitent. Inuenias inter hos qui ſemper hærent dubij, quibus nulla ratio mentem impleat; qui ſemper anxij, quibus nulla conſilia metum adimant; qui vndique natant difficultatibus, vt nullam auxiliarem manum admittant, cùm omnium tanta diffidentia laborent, vt nec animo ſuo ſatis credant. quo fit miſerrimam omnino eſſe conditionem illorum qui tales Superiores nacti ſunt, ſub quorum faſtidioſiſſimo imperio nihil ſperari generoſum poteſt, collabeſcunt omnium animi, ac tanquam alta humo defoſſi ignauo

nauo conſepulti iacent ſomno. nihil in his excelſæ mentis, nihil quod virum ſuum redoleat, nihil Chriſto & æternitate dignum, iacet proximorum calcata ſalus, iacet propria. ita à ductoris lentitudine exciſi omnes nerui, exſecta robora vniuerſa ſunt. Ingens malum, & quod non niſi Imperantis mutatione corrigas. in quibus nihil videas præter teſtudinea ignauiorem tarditatem, omnium etiam valentiſſimorum ſtomachis nauſeam parituram; nihil præter feliciſſimarum occaſionum, gerendarumq; rerum ſupinum neglectum. ſtupor enim quidam obſedit animos, vt vix flammas in medijs ignibus perſentiſcant. tam denſo vndique animorum gelu conſtricti iacent, vt nullis hos precibus, cauſæ æquitate, facilitate, amiciſſimorum ſuaſionibus, ingentiumque tam publicorum quàm priuatorum damnorum metu impellas.

4. Reperias alios qui naturæ quadam moroſitate, faſtidioſiſſimi ad omnia, & nauſeabundis ſimiles ſunt; à quibus nihil audias, præter omnium contẽptum, vngues & dentes, & Satyri morſus, vultum triſtem, o-

Digitized by Google

culos toruos, & in mœrorem ac ſæuitiam deiectos, verba ab imo pectore quaſi harpagonibus educta, dura & aſpera, & inſtar ſerræ, dentata. in quibus nihil ſuauioris ſucci, carnis aut ſanguinis, nihil quod alliciat, quod parētem referat. iudicis ſunt omnia, & ſæui iudicis; apud quem quęcunque delicta, læſæ maieſtatis crimina ſunt, omnis delatus capitis reus eſt. ipſa verò elocutio faſtidio eſt. Conſulis? frontem vt indignabundus corrugat, genas tanquam in contemptum deijcit, ſupercilia in faſtum tollit; & poſt moroſa obſtipi capitis ſilentia, oracula promit. quibus ſi quid opponas, peculatus reus es. Si quid tanquam à parente depoſcas, triremibus antè præfectum quàm patrem audies. infeliciſſima ſub his ſubditorum conditio: quibus nemo faciat ſatis. damnant omnia, ac ſi rem non poſſunt, modū ſimprobant. à quorum ore nihil lætum, nullum afflictis ſolamē, nullum iacentibus excitamētum, nullum ægris leuamē, nulla laborantibus quies, nulla poſt ſudores ſpongia; ſudes & cæſtus ſunt, & ſaxa pro verbis volant, fella pro melle, pro ſaccaro abſinthium propinatur.

tur. quòd ſi quid ſuauitatis interſpargitur, à tam auara & nouercali manu hæc veniunt, vt caruiſſe meliùs ſit quàm habuiſſe, negaſſe optatiùs quàm tã cruda dextera porrexiſſe.

5. Accedunt his qui omnium propè perpetua laborant diffidentia; quo fit, vt, dum ſingulorum munia obire volunt, nec omnibus ſoli ſufficiant, pleraq; fruſtatim tantùm attingant, rerum obruti multitudine. hinc ſemper querulos reperias, tãquam ſub onere fatiſcentes, nec ſuorum tamen commiſerationem conſequuntur; quin magis oblocutionibus plenam domum: quę ferè otium comitari ſolent, dum ſerijs deſtituti, ſolis Superiorum actionibus diiudicandis oculos habent. non fierent hæc, ſi iuſtis occupationibus detinerentur. & maiora etiam imperatis auderent, ſi Superiores nacti forent, à quibus animos, non metum mutuarentur. verùm cùm timoribus illos tanquam fluctibus iactari videant, nec quidquam ſplendidioris rei ſibi cõmitti, in ignauiam degenerantes, diffidentiam diffidentia remunerantur; eaq; aggrediuntur quę ſubuertendis Superioris conatibus commodiſſima ſunt. cũ

enim omnem bene agendi occaſionem adimi ſibi videant, eandem quanto poſſunt ſtudio ſubtractam eunt Superiori, mille ſubdolis machinationibus conſilia illius ſubuertentes. Non facerent, ſi fidentem Superiorem conſecuti forent, cuius fiducia excitati, nihil intentatum relinquerent, quo illius de ſe exſpectationi reſponderent, fiduciamque fiducia repẽderent; neciam clam illo quidquam molirentur, ſed animorum intima reſerarent, benigniſſimi actionum illius facti interpretes. tantum in omnem partem fiducia ac diffidentia poſſunt, vt in illa laudatores etiam reprehendendarum rerum inuenias; hæc damnatores probatarum etiam rerum reperiat: illa alacres ad imperia, & ad ardua quæque promptos paratoſque; hæc imparatos etiam ad minima ſentiat: illa in ſudoribus lætos ac indefeſſos; hæc in otio querulos ac indignabundos, ac in mœroribus ignauos.

6. Poſtremi ea innata ſunt ingenij duritia, vt quod ſemel imbiberunt, nunquam dimittãt. putes chalybi impreſſum, aut adamãti inſculptum, quidquid ſemel illapſum

men-

menti eſt. ita tenaciter quæcunque illis ſub veri aut boni ſpecie oblata ſunt arripiunt, vt credas de vita ac ſalute agi, ſi de conſiliorum mutatione mẽtio iniecta fuerit. durum hoc genus hominum eſt, & procul ab imperijs arcendum. quæ ſi nacti fuerint, rogandus Deus, vt optima illis quęque primò illabantur: nam ſi deteriora, nunquam amoueas, & vitam antè quàm opinionem ponent, cùm Dei gloriam, ſalutem ſuam ſuorumq; in ſemel conceptarum ſententiarum propugnatione collocent. Quę res in optimos non rarò ac religioſiſſimos viros cadit. quibus ſi quid inciderit quod virtutis ſpeciem præ ſe ferat? adhærent tanquam reuelatoria quadam aut prophetica à Deo in anteceſſum inſpiratione immiſſa. quod vbi ſemel iactum in hanc ſcrupuloſam ac ſaxeã animorum terram ſemẽ fuerit, nequidquam aliud cogites. preme tanquam torcularibus rationum ac auctoritatum pondere, nulla ratio locum reperiet, cùm ex aduerſo inloquentẽ Deum ſibi ſtatuerunt: cumque diuinæ gloriæ non ignobilem partem, in opinionum ſuarum executione ponant, fit, vt abduci à

concepta ſemel ſententia, cui tanquam diuinæ voluntati inhærent, nulla arte valeant; alij aliud ſentiant, & quidem viri prudentia, religione, virtute, pietate, eruditione magni. Fruſtra his arietibus impellitur animus, cùm altiùs primam opinionem animo impreſſerint, quàm vt vllâ humanâ vi commoueri aut loco pelli poſſit. ſtat nimirum, ſtabitque inconcuſſa, ignara flecti prior ſententia, omnibus rationibus potentior, omnium auctoritate validior. quo fit vt nullum propè hoc hominum genere, minùs ad gubernacula idoneum reperiatur; quæ moderata ingenia, nec in vnam partium nimiùm firmata depoſcunt, quæque plus ſemper in cauſſa ſua alienę prudentiæ quàm proprię innitantur, cùm meminerint homines ſe eſſe, falli poſſe, maioreſque etiam in rebus pijs ac religionis, adeoque & fidei, à vero, à virtute, à fide aberraſſe. qui deinde ſuauitatem robore miſcere, duritiam mollibus temperare nouerint: neque ſemper ad pœnas & aſperiora monita, dominorum ac iudicum more, ſed ad matris nō raro vbera, ac ad patris ſemper dexteram decurrendum ſibi meminerint:

qui

qui deniq; in ſuorum delictis etiam à ſimulatione, ac materne interdum blãdientibus, medicamenta præbere didicerint. temperata enim ingenia, & vel natura vel aſſiduo ſtudio ac vigili cura, tanquam vomere ſubacta, & quæ pro re nata in hanc aliámue ſe partem flectere conſueuerunt, imperia expoſcunt: quæ nec lentitudine ſua nauſeam, inde vomitum prouocent; nec lenitate ſua ſemper fluctuent, ſemper natent, nuſquam certum portum aut littora teneant; nec ex ſemper æſtuantibus fornacibus in perpetuas flãmas exurgant, totque præcipitia, quot conſilia ſubeant, à fortuitis euentibus nomen ſumptura; nec denique quaſi in ſaxum gelidata, ſemper ferrum poſtulent antequam molleſcant aut cedant; quæ Ætneis magis incudibus aut proſcindendis aratro glebis, quàm moderandis ingenijs nata ſunt: ſed quæ calorem frigore, lentitudinem ignibus, duritiem mollitudine, lenitatem pondere moderari ſciant. vt neque nimius æſtus propellat in præcipitia; nec nimium frigus omnem benè gerendæ rei occaſionem, ſera pœnitudine elabi permittat: nec durities nimia

om-

omnem alienorum cõſiliorũ tanquam alienæ manus attactum aſpernetur; nec lenitas nimia nuſquam ſtringat, quámque nũquam corpore, ſemper ſola pluma teneas: vt verè à Magno Gregorio dictum ſit: *Ars artium regimen animarum.* Vt enim vnus Superior, omnibus, Apoſtolo monitore & duce, omnia fiat, totque mutuò diſcrepantibus ingenijs, ſuum tanquam ex informi argilla peritus figulus fingat ac refingat, ingenti per omnia opus induſtria eſt, animoq; in omnem fortunam parato ac ſubacto; cuique tanquam peritiſſimo nauclero, è ventorum fluctuumque domeſtica quadam familiaritate, nihil inopinatum accidat. Et ſanè ſi vſquam, ingens cum ingenijs lucta eſt, neque tanta aut guſtuũ aut formæ quàm iudiciorum varietas eſt. quo magis varia opus in Superiore dexteritate, qui ſe vnum in tot mutuò pugnantes vertat formas. nam omnes in ſuam velle fingere, extremæ dementiæ eſt. vt verò ſe tot aduerſantibus induat, non niſi ſolertiſſimę mentis eſt. nam & cum triſtibus mœrere, cum gaudentibus hilareſcere, audere cum audacibus, expalleſcere cum timidis,

ar-

ardere cum feruentibus, rigere cum frigidis, torpere cum tepẽtibus, languere cum ægris, roborari cum valentibus, vt eos morum quadam ſimilitudine adnectas tibi, quo faciliùs promptiùſque mœrorem lætioribus abſtergas, nimiam hilaritudinem ad maturitatem deducas, & audẽtioribus aliquid metus è prudentiæ arena interſpergas, & timidis animos addas, & præferuidis frigidam infundas, & frigentibus ignes admoueas, tepentes excites, ægros releues, ac nimis denique validos ne in vitia exurgant, in moderatam temperiem virtutibus natam adducas; magnæ omnino induſtriæ, & imperijs digniſſimæ eſt. talis enim Apoſtolum ſecutus, om̃nibus omnia factus eſt vt omnes lucrifaciat. quod nunquam fiet ab illo, qui ſua pro diuinis conſilijs, aliorum pro humanis habuerit; qui tanquam à diuino calamo & ore placita ſua proloquitur; qui ſeueriore ingenio, nulli humanæ teneritudini compati, nulli commiſereri didicit; qui humanarum in ſe fragilitatum inexpertus, è ſolis libris morborum medicamenta hauſit, ex alijs, nõ ex ſe factus magiſter & medicus; qui omniũ

mo-

mores ad rigidiores ſuos fingere, quaſi omnium valetudinem ac ſtaturam ad ſuam, conatúr; qui quæ ipſi ſapida, leuia, commoda, bona, ea alijs eſſe volet, tanquam ſi è ſuo robore omnes metiatur, è ſua corporis conſtitutione reliquos, ſua animi propenſione omnes. Grauiſſimus error & ſtultitiæ proximus; vt ſi quis raſtris, ſecuribus, incudibus, vomereque aſſuetus, omnes ad eadem vocet; aſſuetus pellibus, iiſdem veſtiri velit omnes, omnium nimirum pedibus calceos eoſdem, omnium corpori pares togas præſcribat. Et eſt illud in hoc hominũ genere grauiſſimum, quòd duritiem ſuam morumque aſperitudinem, lenitatem arbitrentur, & vocent, & haberi ab alijs velint; tanquam ſi ſolibus ab aratro exuſtus, caniculæ calores pro tepenti & frigidam ſuffundenti vento excipiat; & exſculptum ardoribus pectus, ac callis vndique loricatum pro molli puluillo habeat. quibus ſi errorem digito deſignes, errorem ignorant, virtutemque pro errore habent. obtemperabunt fòrs ſi Superiorum imperia acceſſerint, & conatum etiam aliquem admouebunt; animis tamen prior ſta-

bit

Digitized by Google

bit ſententia, ac ſi qua libertas conceſſa fuerit, ad ſua labentur. Iam ſi ſupremum illi imperium conſecuti fuerint, vt non habeant à quo aſperitudo mitigetur, quorumque leniore ductu molleſcat durities; ad extremas immititates decurrent, ſolis ſuorum mœroribus, ægritudinibus, mortibus. aut deſertæ Religionis ſectionibus nobiles. Neque ſperari in hoc imperio auxilia poſſunt, cùm ſuis ductibus habenas ſtringant, calcariaq; perpetuum ſanguinem elicitura admoueant, ignari parcere; nec alios in conſilium vocent: aut ſi vocent, contraria ſententijs ſuis, tanquam Deo aduerſantia reſpuant; aut denique illos ſolos deliberationibus adhibeant, quos vel ob innatam morum ſeueritatem, vel ob metum, aut complacendi ſtudium, ſententiarum ſuarum ſuffragatores habituros ſe ſciant.

Prudens proinde Superior rem nullam incõſultò aggredietur; nec præmiſsâ maturâ deliberatione aliò conſilia vertet. Scio prudentis eſſe melioribus propoſitis mentẽ mutare: ac nonniſi pertinacis ingenij eſſe ſemel ſtatutis ita mordicus inhęrere, vt quibuſ-

cun-

cunque ſanioribus propoſitis nihil à decreto deflectas. ſemel tamen re in deliberationem vocata, vbi ſingula maturè excuſſeris, non facile ad noua imperia decurrendum; imò nũquam, niſi certiora, ac prioribus meliora occurrant. quod vbi contigerit, non vnius Superioris iudicio, ſed multorum, aliò conſilia flectenda ſunt. ac primò tacitus apud ſe Superior rerum nouè in vtramque partem occurrentium momenta excutiat, rationumq́; pondera ſepoſito affectu, tanquam in ſtatera diſpiciat. proponat deinde ſuis, & imparatos præcogitatis antè rationibus, iuuet: ita tamen ne quis propenſum illius animum in vnam potiùs quàm alteram partem ſentiat. ſententiis dictis, tutiorẽ certioremq́ue partem deligat, nec ab hac niſi de ſuorum conſilio decedat. quod eo magis adhibendum, quo profundiore opus indagine eſt in ſemel maturè deliberatarum rerum mutatione. Et verò vt ſemper laudata conſtantia, ita damnata peruicacia fuit: & vt ad omnia momenta de ſententia decedere, leuiſſimæ mentis eſt; ita ſemel decretis, quibuſcunque melioribus propoſitis, adhæreſ-

Digitized by Google

cere, fatuæ cuiuſdam pertinaciæ eſt. neutri proinde imperijs apti ſunt: parentiæ potiùs quàm gubernaculis nati. Neque hîc ego facilem in mutandis conſilijs Superiorem laudo; nec ſui iudicij tenaciorem probo: ſed media hunc ire via deſiderem, vt ſemel è ſuorum conſilio firmata nunquam mutet, niſi certiora tutioraque longè ſeſe offerant. in paribus nihil mutet, imò ſi leuia meliorum incrementa ſunt, ne tunc quidem mutet, ne audiat inconſtans; magna omninò ſint, quæ ſemel rata ſtrataque flectant. Hæc tamen magna non ſuo vnius iudicio, ſed aliorum magis metiatur, ne audiat iudicij ſui, aliorum verò neglector & contemptor.

In qua re illud in primis ſtatuendum, faciliorem priorum mutationem eſſe re necdum propalata: at vbi in apertum conſilia eruperint, plus longè difficultatis mutationibus ineſſe. nam & riſibus hæ multorum expoſitæ, acrioribuſque aduerſantium cenſuris ſunt, & graues naſci in variorum animis offenſiones ſolent; maximè, ſi, vt fieri conſueuit, prior aut hac pulsâ, ſecunda ſententia, plus minúſve in hos aut illos pronior, aut

aut diuerſa magis fuerint. tunc enim exurgunt iræ, indignationes, oblocutiones, minuſque religioſæ machinationes, ſiniſtrarumque ſuſpicionum integra plauſtra in innocentiſſima ferè capita caſura. Non tan ergo vulgabit Superior ſententiam ſuam conſilio firmatam verbis quàm reipſa. nec ab hac ſe deduci minis, terroribus, pollicitationibus, precibus, familiariorum perſuaſionibus patietur; nec dignitati, amicitiæ au ſanguini quidquam dabit: ſola meliorum certiorumq; ratio illum à propoſito flectet Neque nouum, poſt maturas deliberationes, intercurrere quædam quæ mutationem ſuadeant. ea namque eſt humanarum rerum inſtabilitas, vt ſuccreſcentibus ſibi non raro aduerſantibus, niſi ſtolidiſſimi ſimus, ad noua conſilia decurrendum ſit. vna namque aliquando, quæ præuideri humana perſpicacitate ac ſolertia non poterat, ſubnaſcens aut ſe prodens grauior circumſtantia, totiu rei conditionem inuertit, & ad alia ponder ſuo cogit. & ſtultum ſanè ſit nociturus quia prioribus inhęreſcere; nec ad ſecunda ſaniora, te vertere. conſultiuſque in his eſt, minù

for

fortem ac conſtantem audire, quàm fatuum. quanquam nullius meritò inconſtantiæ aut timoris argui poſſit, qui melioribus propoſitis priora negligit, & aliò flectit habenas ſi impedimenta deſtinatę antè viæ iniecta viderit. vt ſtolidiſſimi ingenij eſt admotis calcaribus, laxatiſque habenis viam decurrere, quam quis ſuffoſſionibus aut aquarum eluuie aut hoſtibus inſeſſam ſenſerit. prudens rem nullam niſi maturo conſilio aggreditur, omnia antè excutit, aduerſantia inprimis, peritorumque mentem diſquirit, ſecutura proſpicit, pręſentia intuetur, præteritorumque memoria ſententiam firmat; ſeque opinionis in quam propendet aduerſarium ſtatuit, quo potentioribus rationibus & ſuam firmet, & aliorum infirmet: ac tam diu ſuſpenſam ſententiam tenet, quamdiu in alteram partem rationum ſe pondera flexerint. ſin dubius hæreat, nec in alterutram ſe librari ſenſerit, tutiorem deliget, quæq; periculorum iuſtiq; metus minus licet emolumenti etiam minus ſpondeat: cũ prudentiæ eſſe ſciat, certiora minoribuſque implexa damnis, quam incerta maiorib. fòrs

lo-

Digitized by Google

locupletanda commodis deligere. neque e-
nim amat ſapiẽtia dubios aleæ iactus, è quo-
rum fortuito euentu ſumma infimaq́; pen-
dent: modicis certioribus contenta viuit.
præmia maiora ſunt? maiora etiam damna
numerat, maioribuſq́ue commodis damna
maiora opponit. mediis contenta viuit; au-
ſi maiora cogitat, amat per gradus faſtigi
tenere, ac lento prouidoque greſſu præcipi-
tia legere; non ſaltibus verticem aut inferio-
ra vallium dubio vtrobique exitu inſidere
cùm arbitretur hęc non tam generoſę quàm
ſtolidæ mentis teſtata documenta eſſe, &
temerario magis quàm virili pectore profi-
ciſci. Abſtinet ergo à merè fortuitis, & quo-
rum felicitas infelicitaſq́ue à dubio fortu-
torum euentu pendet; & tutioribus ſe no-
menq́ue ſuum ſuorumq́ue committit. ne-
que terretur interim difficultatibus, ſed ani-
mos ab ijs, tanquam à cibo robur, mutua-
tur, ſi per illas præmia vocent. non inſilit ta-
men in illas vltronea lubentia, quaſi ame
perire; quin ſi poteſt illæſus tranſit. ſi quæ ta-
men illum neceſſitas aut boni magnitudo
in illas conijcit, non expalleſcit ad ardua
au

aut retrahit timidus pedem, aut circumſpectat fugæ loca; ſed incurrentibus celſior, ad ſperata aduolat. nihil interim temerè, fortiter multa aggreditur. nec efferatarum belluarum more, irruit in nocitura, ſola ſæuitia præmio: ſed in media roboris palæſtra, prudentiæ meminit, quam fronte; oculis, animo, manibus circumfert. Non accerſit proinde pericula, tanquam ſi illis propter ipſa gaudeat; occurrentia tamen amplectitur: ac ſi alia negata via eſt, per illa ad optata lætus graditur. non dico Non ſentit, ſed vincit. illud marmoris, hoc hominis eſt. quare ſi diuertere à ſe prudentiæ dextera & clypeo poteſt tela, non opponet nudum illis latus. ſi tamen obiiciendum pectus, ac nonniſi per illud potiri ſperatis poteſt; nudum opponet, ſi per nudum, & non per armatum ſperanda victoria, & ad optata, & prudenti iam antè conſilio firmata, veniendum fuerit.

Hunc benè antè rebus in omnem partẽ excuſſis, nullæ terrent, audacem minæ faciunt; pericula animos huic non adimunt, addunt; damna non deiiciunt, erigunt; dif-

ficultates non arcent, impellunt; lingua
calamorumque iaculata ac fulminata to
ca non eneruant, roborant; fortiuſque h
per armatos hoſtes, tela, flammas, quàm p
puluillos ignaui, inambulat. Cùm enim
maturo ſuo ſuorumque conſilio oblata
boni ſpeciem animo generoſus impreſſer
hac duce, firmato inuictoque ad ardua p
ctore, ferrum & ignes calcat, vt roſas; me
taria, ſecures, rotas, vt virtutis ſuæ teſtes a
plectitur. tantum poteſt honeſti ſpeci
conſtanti pectori inſculpta. ac licet non r
rò inimica oppreſſus acie cadat vir co
ſtans, ac difficultatum molibus tanqua
montibus inſepeliatur, hoſtilique vndiqu
telorum nimbo integatur, corpore quiden
vbi de genu & cubito pugnauerit, occide
animo tamen interritus ſtabit: quem null
aduerſariæ acies, tormenta nulla de hone
gradu mouebunt. contumeliæ & efferat
linguę barbara proritamenta paleę illi ſun
detractiones quocũque ore, clàm & palàn
inimico fuſæ, pluma leuiores. exuitur mu
nere? ridet, & optata fruitur quiete. nou
augetur honoribus? munera hæc fortun
nou

nouit viliſſimis ferè largienda. locupletatur opibus? ſcit has extra ſe poſitas, nec meliorem poſſeſſorẽ facere quàm bracteata frena leonem. quidquid proinde dederis, aduerſa, an ſecunda, in colorem ſuum vertet, & conſtantiæ ſuæ materiã exoſculabitur, tanquam horreo ſuo diuitem meſſem, torculari ſuo opulentam vindemiam; vt nihil iam huic euenire poſſit formidandum, nihil quod è fida virtutis ſtatione mentem diuertat, cùm ex omnibus aduerſantibus iuxtà ac proſperis paria conſtantiæ ſuæ robora eliciat, ſemper ſibi ſimilis, etiam colore; ac in pari pacis altitudine; niſi quòd fòrs in aduerſis plus ſerij ſolidioriſque gaudij quàm in ſecundis ſentiat: in quibus plus non raró timoris permiſtum gaudio eſt. ſubuereretur enim ne quid animo adhæreſcat ex hac mollitie, tanquam ſi in caſtris cælo & nuda humo aſſuetus lecti mollitiem perhorreſcat, & t valetudini, virtuti, roborique inimicum uerſetur.

CAPVT XV.

Amor iuſtitiæ.

Digitized by Google

AVguſti hîc dictum verè Chriſtian
Pietate & iuſtitia Principes dij fiunt.
nimirum ſimiles pietas & iuſtitia facit,
Diuorum numerum cultores ſuos refer
neſcias vtra potior, niſi quod iuſtitia la
patere videatur, qua exulante familia
niuerſam neceſſū collabaſcere. ſtant e
hac vna regna, ac in ſumma etiam barb
duce hac imperia ſteterunt. *Ius enim & a
tas vincula ciuitatum*. qua ſublata tanq
exciſis neruis fatiſcunt robora, exurg
calcata virtute ſcelera: & nihil iam ſanct
hinc mutuæ cędes, & vnius etiam vteri
la & ſanguis. hinc etiam caſtitatem ab
pudicitia, fidem à perfidia, miſericordia
ſæuitia, modeſtiam à petulantia deiect
ſacra denique omnia, pietatemque ab
pietate ſtratam videbis vt omnia dixerit
iuſtitiam exulare dixerit. Aug. 2. de C
Dei. *Quid enim ſunt regna remota iuſtitia
magna latrocinia? quia & ipſa latrocinia
ſunt niſi parua regna?* Colet ergo iuſtitiam
perior vt imperii ſui robur. præit Nicep
ro narratore nobili facto Traianus, que
runt nudū enſem vrbis Pręfecto tradid

his verbis: *Cape ferrũ hoc, & ſi quidem recte imperium geſſero, pro me; ſin aliter, contra me hoc vtere.* Fortiter & benè. ſint imitatores, nõ admiratores aut laudatores tantùm Superiores: iuſtitiamque in ſe primò, inde in alios vertant.

Neque tamen ſæuitiam in Superiore volo, execror Caligulæ vocem barbaram: *Omnia ſibi & in omnes licere.* deteſtor Tarquinios, Nerones, Caios, Domitianos, Dionyſios, amo Tiberios, Traianos, Alphonſos. non tamen indulgentiam in ignoſcendo aut ſimulando nimiam. *Qui* enim *non vetat peccare, cum poßit, iubet.* mediam inſternet prudentia viam, & iuſtitiæ ſemitam complanabit, Non intuebitur ergo Superior perſonam diuitis, non pauperis: neque enim aut pecunia aut inopia iuſtitiæ adminiſtræ ſunt. cæca illa eſt, nullos opibus & honoribus, nullos inopiæ oculos habet; cæcutit ad eruditionem & infantiam; ad diademata & ſarculum; nec ruſtico minùs quàm laureato gaudet vomere; ferrumque illi & ignibus excoctę ſudes pro eodẽ ſunt. pariat nimirũ illa, iuſtitia, nec dignitatum, ętatum, adeo-

Digitized by Google

que nec meritorum demeritorumque diſcrimina nouit, æquat purpuram lacernæ, aurum ſcoriæ, vitrum gemmis, quæcunque concha, mari, aut ſerpente eductis. ſeponit enim fortunæ munera, corporis etiam & ingeniorum opulentiam. ſolaque rationum diſcrimina intuetur. vt nec amicitiæ, non ſanguinis, non eiuſdem vteri & vberis, ac ne parentum quidem meminerit, cùm ſolos oculos æquitati aut iniquitati habeat, reliqua ignoret.

Sequetur hanc ignaram flecti iuſtitiam Superior, nec omnibus omnia niſi perditũ velit omnes; nec paucis omnia, niſi omnibus eadem; nec vni concedet omnia, niſi omnium æmulationes, imitationem ac odia etiam velit. Sed neque indulgentior in vnum quàm alterum, nec remiſſior erit; parique in omnes animo feretur; imitabiturque patres in filiorum amore, imitabitur matres in prolium lactatione: neſciunt vbera diſcrimina, quia nec vterus ſciuit. Induet hanc mentem Superior, & ſi pacatam familiam volet, ac æternam in hac malaciam, pari ſtudio feretur in omnes. ſi delictum

ctum occurrerit, cogitabit ſe patrem, delinquentes filios; à quocunque delictum natum, à filio natum cogitabit. par in filiis vt meriti, ita & delicti ratio. nec ſolius tamen iudicis in ſuorum delictis perſonam induet, ſed iudicis patris. vt dum ſe iudicem cogitat, patrem ſciat. patrio ergo more non nudi iudicis æquitatem colet & exercebit, patrio etiam affectu in delicta ſæuiet. neque vnquã ita iudex erit, vt obliuiſcatur ſe patrem. nec pœnam feret in nudum reum, ſed reum filium. quare nec decurret ad pœnam tanquam in interitum, ſed in ſalutem. atque hinc ex Senecæ conſilio: *Tanquam inuitus & magno cum tormento ad caſtigandum veniet.*

Neque tamen omnibus eadem admouebit, vt nec ægris omnibus eadem medicamenta, non ſi idẽ morbus ſit: complexionum enim varietas variam medicamentorum rationem depoſcit. Et ſanè tenerior quibuſdam frons, ſolo verbo componitur; durior aliis, mollioribus non cedit, validioribus indiget. hunc ſemel monuiſſe, ſatis in ruborem & emendationem eſt; illum nulla

monita reſtituent. ſunt quos ſolo obtutu terreas à delicto, ſolo reducas in viam; cùm alios nec minæ terreant. Intuebitur proinde Superior ſingulos, & peritorum medicorum more, profutura ægris medicamenta præſcribet; & dum ſingulorum ſtudet valetudini, temperabit medicamenta naturę, vt iam non nudam iuſtitiam manu verſet, ſed prudentia temperatam. ne ſi nudam, eat in ſæuitiam aut ſtoliditatem. Non eſt iuſtitia quæ à prudentiæ regula decedit: fatuitas aut crudelitas quædam eſt, non virtus. quæ virtus eſt, prudentiam habet comitem aut directricem. tempora proinde conſiderabit, perſonarum conditionem, & quidquid prudentia ſuadet & ſolet. & vt grauis in medico error eſt, ſtatim ad ferrum & ignes deſcendere, qui leniora primò tentat, ac nonniſi extremis omnino malis extrema remedia admouet: ita grauis in Superiore error eſt, in omni ſtatim delicto decurrere ad pœnam. Sola ſæpè pœnitentiæ ac delicti erubeſcentia ac confeſſione contentus erit. aſſiduæ enim & acres vindictam excitant, remiſſæ & frequentes contemptum:

ac

ac licet frequens vindicta quorundam odia reprimat, omnium tamen prouocat; nec minùs in Superiore turpia frequentata ſupplicia ac pœnæ ſunt, quàm in medico funera. Animus primò componendus eſt, ne ſi primos delicti calores efferueſcente etiamnum mente calidioribus pœnis tanquam remedijs aggrediatur, obduret & exaſperet, non emendet. moram aliquam largiatur, operamq́ue det vt delinquens erroris delictiq́ue magnitudinem cognoſcat, pœnáq́ue ægrorum more, in ſalutem vltrò ſubeat, ac non rarò etiam depoſcat. quæ licet acrior aliquando fuerit, ſi tamen ſibi perſuaſerit reus, à patre natam, hauriet, ſi non cum voluptate, ſpe tamen meliorum, lubens & volens, non ignarus plerumque amara hauſtu ad ſalutem valere, & exoſculabitur patris affectum, vt æger valetudine recuperata duri medici manus, quas & præmio donat, & ſuaues iam dicit.

Conſiderabit ergo delicti magnitudinem Superior, nec pœnam in pœnam, ſed in medicamentum adhibebit. ſi occultum delictum fuerit, priuata pœnitentia diluet,

ſola etiam ſæpè monitione; ſi publicum
publica pœna offenſionem tollet: ita tam
vt omni ſemper delicto clementior pœ
ſit, & plus ſemper habeat manſuetudin
quàm ſeueritatis, plus patris, plus etiam m
tris quàm iudicis. Si quē acrioribus in qu
cunque delicto verbis perſtinxerit, non f
cilè ad aliam pœnam decurret, niſi grauit
aliud poſcat. neque enim duas vni delic
pęnas infliget: ſemel puniuiſſe patri ſatis e
quin & iudices pœnarum acerbitatem m
tioribus verbis leniunt; quo minùs exaſp
rabit pœnam pater. illam ſi iniungit, mitig
bit verbis, ac in ipſa imperandi maturita
paternum ſemper aliquid depromet,
plus ſemper pœna redoleat referatque p
tris, quàm iudicis; plus etiam matris, qua
domini.

Neque in ipſa tantùm pœnarum irrog
tione, ſed etiam pòſt ipſam patris perſona
induet. mœrorem etiam filij abſterget, a
mos addet, in familiaritatem admittet, d
licti memoriam deponet, nuſquam fron
oculi, vultus indignationem referent. qu
& benigniore alloquio dignabitur, & in

ducia

duciã prouocabit; niſi frequentata delicta, aut illorum grauitas aliud ſuaſerint. tunc enim ipſa maturitate vultuſque ad ſeueritatem compoſitione, prouocandus in ruborem, pœnitudinem ac emendationem filius eſt; vt, dum offenſionem metuit patris, fugiat delictum; & cùm amari ac benignè haberi deſiderat, iuſtam offenſionum cauſſam remoueat, vt amari iam mereatur, & patrio more haberi, qui de delicto, magis etiam de patris offenſa mœret.

CAPVT. XVI.

De temperantia.

PRæclare Ambroſius ad Vercel. Epiſ. c. 82. *Quid pulchrius abſtinentia, quæ facit etiam iuuentutis annos ſeneſcere? nam vt redundantia ciborum, ac temulentiâ etiam maturior ætas caleſcit, ita mitigatur iuuentutis ferocia, epularum parcimoniâ, irriguoq; fonte.* Et alibi: de Cain & Abel l. 1 c 5. *Plurimos gula ſua occidit, nullum frugalitas; innumeris vina nocuerunt, nulli parcimonia: plerique inter epulas fudere animas,*

& menſas proprio repleuêre ſanguine. Bene Iſidorus de ſummo bono: *Nemo poteſt virtutum perfectionem attingere, niſi prius ventris edomuerit ingluuiem.* Eleganter Proſper l. 1. de vit. contempl. *Temperantia temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. hæc virtus ſi in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat; deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat; omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat; cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas; ignem libidinoſæ voluptatis exſtinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit; mentem placida tranquillitate componit; & totam ſemper ab omni vitiorum tempeſtate defendit.* Verè Hieronymus in Iouinian. lib. 2. *Si quis exiſtimat & abundantia ciborum potionumq; perfrui, & vocare poſſe ſapientiæ, hoc eſt, verſari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, ſeipſum decipit.* Cùm monſtrum meritò haberi debeat luxuria ſine gula; cum adeò illa vnita ſint, vt diſiungi non poſſint. gulę, caſtitatis amans, frenos induet, omnemque multiuorantiã ac multibibentiam vt libidini prędudentem vitabit. neque exempla hîc quærenda, nam
&

Digitized by Google

& à primordio homicidam gulam habemus, & exinde tot millia pereunt qui paradiſi nullum ceſpitem notant: & non, manducauit populus & bibit, & ſurrexerunt ludere? luſum niſi impudicum non denotaſſet Scriptura. & non Dominus ipſe, obliuionem ſui Iſraëli exprobrans, cauſſam plenitudini reputat? Deut. 32. *Incraſſatus eſt dilectus* & pinguefactus & dilatatus, & dereliquit Deum qui fecit eum, & abſceſſit à Domino ſalutificatore ſuo, & non pro templi foribus ſenior Heli. 1. Reg. 4. & filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu? meruerat nimirum hanc à Domino plagam domus ſacrificiorum carnalium defraudatrix.

Prærogatiuæ verò moderationis victus & potus plurimæ ſunt, & pleni ſunt ſacri codices. ita peccatrix Niniue exitio liberatur; & Achab poſt Nabuthæ hereditatem & necem, læſuram ieiunio abduxit à diebus ſuis; & Anna Helcanæ filium ieiunio impetrat; & Daniel triduano ieiunio ſibi indicto ordinem & ſignificationem ſomnij Babylonio regi indicat; & fratres leguminum pabulo ac aquæ potu, forma & ſpiritu cultio-

res apparent. è quibus colligere poſſumus quantum apud Deum poſſint reciſi pabuli officia. Et non apud inferos, in diuite conuiuia crucientur, in paupere ieiunia recreantur? & animum ipſi noſtrum conſulamus, quales nos ante pabulum & potum in virgine adhuc ſaliua ſimus. an non multò pollentioris mentis, multò viuacioris cordis, quàm cùm totum domicilium interioris hominis eſcis ſtipatum, potu inundatum, decoquendis quæ ſumpſit, inæſtuat? Quo magis decet Superiorem ita moderatum in omni eo genere eſſe, quo omni hora ac momento paratus eſſe debet ſuorum neceſſitatibus occurrere, ne aut hebeſcat iudicio, aut labatur memoria, aut denſa ciborum nube tanquam nebula ſtipetur, quo minùs longiùs poſita pericula videre aut damnis occurrere poſſit.

Et verò in perpetua quadam erectæ mentis ſtatione, vigilique continuò cura Superiorem eſſe debere, nemo non videat, qui & occurrentium difficultatum magnitudinem, & incerta rerum, & metuendorum damnorum ac periculorum aſſiduitatem, &

op-

oppugnantium frequentiam, & inuidentium ac obloquentium multitudinem conſiderat. Iam qui morbos varios, vulneraque animorum cogitat, hoſtileſque inſidias, doloſque ac occurſantium tentationum varietatem, & innexa illis præcipitia, medicamentaque, quæ vel in cautionem præuia, vel inualeſcente morbo adhibenda; perfacilè videbit quàm præſentem ſibi deceat eſſe Superiorem. præſentia verò hæc ex cibi potuſque moderatione parte maxima pendet.

Iam ſi ſuos à conuiuandi & obſonandi licentia reuocare Superior voluerit, ducem ſe præbeat & ſequentur. ſin ipſe indulgere cibo & calicibus velit, eadem ſuis concedat neceſſum eſt. ſi negas? inuenient, & fortiùs ac copioſiùs quàm ſi vltrò concederet: validiora enim furtiua ſunt. nec peccare ſe quiſquam putat duce Superiore, cuius facta documenta & incitamenta ad paria ſunt. nemo miles ducem ſecutus, errorem ſuum fatetur. ſed nec quiſquam damnat ſequentem. Vult ergo ſuos Superior inſigni aliqua temperantia claros? dux illis ad illã ſit. vult ſpiritualiũ amatores? exẽplo præeat. faciet, ſi oſtenderit

ſe

ſe hominem, non ſolius carnis; imò animæ magis quàm carnis: & inueniet imitatores. nam vel ſolo rubore, vt alia deſint, ſequentur præeuntem. magnum incitamentum in milite ac inferiore verecundia eſt. vt ducem ac Superiorem præiuiſſe, ſatis ſit ad ſequelam, etiam in morte. tantum pudor poteſt. Sin pergat prodigus in ſeipſum, parcus in alios eſſe, oblocutionibus domum replebit, graueſque morum ſuorum patietur iudices: imparatoſque ad imperata ſentiet, inuidentia etiam grauidos, dignitatumque quas poſſidet euerſores.

Sin vt in ſe, ita in ſuos indulgentior fuerit, quid niſi paulatim cuiuſque ventrem Deum ſtatuet, vt tandem illud audiatur, *Manducecemus & bibamus, cras enim moriemur*? cum illud inclamandum eſſet, Temperemus, moderemur, ne fortè moriamur. Et ſanè quid ſperari à Religione poſſit, in qua ille nobilior qui calicibus inſtructior, ille laudatior qui obſonandi pollucibilior; niſi vt toti in carnem & ſanguinem abeant degeneres filij maiorum, cùm ſaginæ ſubſtructa laſciuia ſit? exempla non docent, & nimis magna etiam-

tiamnum ſtant monumenta concupiſcentiæ, intemperantiæ. Et quid ſperari poteſt oratione ac meditatione è Religione pulſa? & quomodo hæ ſobrietatis comites ſtare cũ intemperantia poſſunt? non magis quàm ingluuies & ieiunium, caſtitas & incontinentia, laſciuia & modeſtia. Quicunque ergo ſaluam Religionem volet, in cibi potuſque moderationem inuigilet, & quidquid hanc ſuperat, pro veneno deputet. cogitet aliorum lapſus graues, & nulla pœnitentia emendandos. & æmula quadam generoſitate, contineat ſuos victus moderatione, cùm cecidiſſe alios viderit ſagina. At fruſtra hæc cogitabit, niſi dux ipſe facti fuerit, vt nihil extra religioſam moderationem ſibi vſurpet, non dicat, nõ ambiat, ſed nec admittat, vltroque oblatum repellat. non quòd nihil illi concedi velim, ſed intra religioſam moderationem. vt nec eat in exemplum, nec trahi poſſit in æmulam imitationem, nec conceſſa commoda alliciant ad dignitatum molitiones, nec inuidum prouocent oculum, nec obtrectandi materiam præbeant, nec ſtudium excitent paria vouendi & paran-

randi, nec opinionem ingenerent mollis a-
nimi & in carnem ruentis, nec ſobrietatis o-
ratio à conuiuiali ore prolata eat in contem-
ptũ, in riſum. ſtolidum enim eſt ore proba-
quod facto damnas. vis fidem verbis ſtar-
loquere rebus. maximè cùm plus poſſit mu-
ta factorum elocutio, quàm calami aut lin-
guæ. facere Superiorum, dicere oratoru-
eſt. vtrumque ſi iunxeris, reperies imitato-
res. Et quid quæris in cibo & potu? ſatiar-
potes minimè. aut pulchrum eſt ſocios vi-
cere? cùm omnes viceris, vinceris à macell-
& dolio. quæris delicias? non eſt pugili-
non militis, minùs Religioſi. Eſt in hanc re-
illud Pauli 1. Cor. 9. *Omnis autem qui in ago-
contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem
corruptibilem coronam accipiant, nos autem inco-
ruptam.* Quæris voluptatem? nulla nobili-
certiorq; voluptas eſt voluptatum contem-
ptu. Iam vide morborum genera intemp-
rantiæ comites, & damnabis voluptate-
momentanea oris voluptas eſt, menſtrui,
deoque & annui non raró morbi ſunt; & i-
naſcitur ferè morbo morbus, tanquam ſi f-
ne colligaueris. omnia dein cogita morbo-

g

genera. omnia in vna crapula repericis,à cuius vberibus pendent illi proles, cuius ſinu ludunt, clauduntur vtero. monet Sapiens Eccli.37. *Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram. propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam.* Denique cogitet Superior non paſci Deo, qui delicijs paſcitur. docet nos Epulo. paſci verò Deo ſobrietatis cultores, docent nos Moyſes, Dauid, Ezechias, Anna Phanuëlis, Daniel, Helias, Centurio; & ferè quotquot Deo magni, quotquot in Religione primi, quotquot portentis clari. docemur hoc Iudaicis faſtis, docemur Chriſtianis. vt quiuis ex vtriuſque Teſtamenti paratura perfacilè intelligat, quid apud Deum victus moderatio poſſit: quid corpus ieiunijs enectum, cùm Moyſes Dei videt gloriam, & necdum tincti Centurionis ieiunia exaudiuntur. audientur etiam magis Superioris, ſi cum Moyſe contra Amalec, pro ſuis oratione & ieiunio pugnauerit.

CA-

CAPVT XVII.

Ignoratarum rerum prudens declinatio.

CVm enim veneratio opinione contineatur, ab omnibus ſtudioſè cauere Superior debet, quæ quoquo modo æſtimationem minuere conſueuerunt. Imperitus concionandi eſt? declinet pulpita. ignarus Theologiæ ac Philoſophiæ? non committat ſe huic velitationi. humaniores literas non guſtauit, aut tenuiter ijs tinctus eſt? non deſcendat in hanc arenam. Et quis in humanis non rideat ignarum fluctuum ventorumque, alto ſe gurgiti, peritiſſimorum quorumcunque funeſtis naufragijs infami, committentem? quis non tironem exercitum, qui nulla numeret ſtipendia, nullam circumferat cicatricem, nullum ferrum nudauerit, nullũ hoſtem viderit, in veteranorum aciem, hauſto datoque ſanguine, vulneribuſq; ac triumphis nobilem, temerario improuidoque auſu incurrentem? quis non iner-

inermem & à matris vberibus, mollibus aſſuetum, cum valido cæſtibusq; ferroque armato, & cui cum incommodis ſanguineque dando & hauriendo familiaritas quædam interceſſit, temerè procurrentem, ac vltrò etiam prouocantem?

Non inferioris ſtoliditatis eſt, artis ac ſcientiarum imperitum, cum earundem facultatum peritiſſimus decertare: aut in doctorum peritorumque conſeſſu, infantiam ſuam prodere, ineruditionem oſtentare. grauius etiã eſt ſi à Superiore id fiat: ſi maiora viribus, gratia, elocutione, eruditione audeat: ſi ſcientię ſuæ ac prudentiæ opinionem temerè in diſcrimen adducat; aut collectam nominis æſtimationem temeraria ignoratarum rerum tractatione profundat.

Hic grauiſſimus in non vltimis aliquando Superiorum error eſt, qui quaſi cùm dignitate omnium ſcientia affundatur, imperitiſſimi ipſi artium, peritiſſimis leges præſcribunt, damnant ignorata, & in infimis etiam imprudentiam produnt. piſtorem proinde ſi quem nacti fuerint, ſi quem ſutorem, ſartorem, coquum, fabrum, aut cuiuſcunq;

de-

Digitized by Google

demum artis gnarum, docere hunc volunt & artium quas nunquam attigerunt, nunquam viderunt, noui magiſtri inaudita in illam diem præcepta tradere; antè doctores quàm diſcipuli. Moleſtiſſimum hoc ſubditis, ab artium planè imperitiſſimis doceri; ac quod deteriùs, ſeueriùs moneri ac reprehẽdi, maximè cùm res prudenter & ex artis præſcripto inſtituta eſt. quod cùm venerationem omnem paulatim tollat, tum contemptum ingenerat, amplamq́; paſſim obloquendi ſegetem præbet. cùm hîc prudentiam, ibi moderationem merito deſiderent. accuſant faſtum, omnia ſibi promittentis animum, omnia alijs derogantem, omnia faſtidientem, improbantem, diffidentem omnibus. in quo denique miſtam elationi amentiam ſtolidamq́ue fatuitatem vni ſibi placentem, reliquos contemnentem, non iniuria damnare ſe poſſe arbitrantur. quo fit, vt in inferiorum animis diffidentia quædam viciſſim naſcatur, ac imperatorum faſtidium, omniumq́ue etiam prudentium in Superiore conſiliorum contemptus, cum vnâ ignorantiæ regulâ reliqua metiãtur: nec

pu-

Digitized by Google

putent ſapientię locum in illo eſſe poſſe, qui ea pertractanda ſumit, quorum graui ignoratione laborat; neque prudentiam cùm fatua ſibi in ignoratis complacentia ſtare poſſe. ex paucis ergo cùm de reliquis ferè iudicium ferant, fit vt in omnibus fortiter detractum eant, omniaque Superiorum eâdem cenſurâ feriant.

Non aggrediatur ergo res Superior niſi aut peritus aut non ignarus illarum, & è quibus decus magis ſperare quàm dedecus ac contemptum vereri debeat: ne pro fortunato & laudando ſucceſſu, & nomini augendo valituro, infortunatum & ridendum referat; ne audiat imperitus, & parati antè nominis vanus temerator; ne ridendum ſe propinet ſuis, & pro veneratione quæ opinionibus inter homines maximè fulcitur, contemptum accerſat; ne imperitia ſua colloquiorum materia fiat; ne incipiant collectę priùs auctoritati detrahere; ne quem antè ſuſpiciebant colebantque, vbi ſenſerint pręſidijs, quæ obſeruantiam prouocare ſolent, nudatum, deſtituant & negligant. vnde eueniat, vt dicta factaq; propè illius omnia eleuent.

ne-

neque enim in vna ſe re opinio continet, ſed omnibus etiam alijs affricat aliquid contemptus, defruſtatque maximam neceſſariæ ad obſequia venerationis partem? ſerpitque adeò malum hoc per quidquid venerationem augere ſolet. quod vbi fit, omnis obſequendi promptitudo, parendique alacritas corruit. nam ſi quæ fors obſequia deferantur, ludunt veriùs in ſuperficie, quàm ab alto pectoris proficiſcantur, metuque magis quàm amore impelluntur. quæ non vltrà permanent, niſi quamdiu timor mentem occupat; quem vbi ſuſtuleris, omne parendi ſtudium cultuſque momento ipſo corruit.

Scio voueri potiùs quàm ſperari prudenter ſumma omnia in Superiore poſſe, neque enim vni omnia conceſſa: & ferè in vno alteróue ſi quis emineat, iacet in alijs. quo maiore opus circumſpectione ac prudentia eſt. vt nimirum modicè illa contingat, quorum ignoratione laborat. ac ſi qua, vt fit, neceſſitas illum in ignorata etiam nolentem impellat; vltrò imperitiam etiam maiorem quàm qua tenetur, fateatur. vltronea enim inſcitiæ confeſſio, virtutis ac ſcientiæ opinio-

nionem ingenerat: cùm non rarò plus in negata ſcientia cognitionis, quā in vanè iactata prudentiſſimus quiſque latere arbitretur. ac ſi non alium fructum referat, virtutum ac ſubmiſſæ mentis, ingenuique apud alios candoris opinione creſcit. quòd ſi à ſe commodis modis omnem propoſitarum rerum tractationem arcere nequeat, nonniſi leuiter ac de ſuperficie tangat, maximè in peritorum conſeſſu, ne cogatur cum rubore inferiores magiſtros pati; aut aliorum riſum contemptumque tacitus intueri. Declinabit proinde hos bonæ æſtimationis ſcopulos Superior, nec allidet famæ ſuæ ratem ad hæc breuia; tentabitque antè proferendarum rerum tanquam fluminum, vada, induſtriæ ac prudentiæ ſuæ bolide, ne ſerò nominis ſui ratem, imperitiæ arenis impactam ingemiſcat. Et ſanè incredibile eſt quantum concepta opinio, non in imperita tantùm plebe, ſed in magnis ac optimis quibuſque ac primis etiam in Religione valeat; quantumque momentum ad promptam in inferioribus obedientiæ alacritatem adferat.

Non ignoro in Superioribus Deum im-

perantem conſiderandum; nec tam gratu
in illis dona cum lacte & vberibus ingen
aut in adultioribus vltronea diuina ben
nitate affuſa, quàm Dei, cuius vicarias vi
obeunt, perſonam intuendam. verùm ſi l
priora comitentur, credi non poteſt qua
tum ad parendum calcar addant; quanta
que felicibus imperijs remoram, illarum
ſtitutio adferat. ita homines ſumus, & in n
gno virtutum ſtudio aliquid ſemper hum
ni circumferimus.

Iam cùm plurima ad fortunanda im
ria neceſſaria ſint, tum in Religione primu
facilè locum obtinet vitæ morumque in
gritas, ſanctimonia, probitas, pietas, orat
nis ac mortificationis ſtudium: quæ tame
deſtituantur prudentia, ſi futurorum pro
dentia, ſi humanarum rerum cognitione
pertractandorum in tanta varietate in
niorum ſcientia ac moderatione, in nu
poſtmodum arte emendanda labetur Su
rior; pendet, non ſeruabit; euertet, non e
get; franget, non emendabit. vt fòrs non a
errauerit, qui feliciores in gubernatione ſu
ceſſus à prudente, moderata quadam pie

Digitized by Google

te ſuffulto, quàm à pio Superiore prudentia deſtituto ſperauerit; pluſque etiam iuſti metus ab imprudẽtibus ac temerariis huius auſibus, quàm ab illius prouida circumſpectione conceperit. vt ſola pietas prudentiâ viduata, aut pertenui tantùm huius colore tincta, obſequijs magis quàm imperijs nata videatur; ſola autem prudentia pietate nudata, plus ſæcularis imperij quàm religioſi redoleat: vtrumque qui conſecutus fuerit, beatus. vtrumque ſi negatum fuerit, plus ad imperij felicitatem valitura magna videtur prudentia mediocri pietate comitata, quàm magna pietas nullâ aut pertenui prudentiâ ſociata. Hoc certum, omniumque iudicio firmatum, nullum imperium ſine diſcretionis regula ac ductrice huius manu diu ſtare; omnem autem prouidæ diſcretionis directricem, ac quaſi corporis ſui animã eſſe prudentiã. nec illud minùs certũ, non perpetuare imperia prudenti benignitate ac moderatione deſtituta; cùm violentata diu in eodem gradu conſiſtere non poſſint. verum etiam illud, frangi, non flecti in genuos animos perpetuâ quadã moderatoris

ſæuitia, improuidoque zelo prudentiâ viduato; prorumpereque tandem in vtriſque pœnitenda. E quorum hoc exemplo diſcimus, qui quo generoſiores ſunt, eò arctioris imprudentiſque freni verberumque impatientiores ſunt. calcaria aut virgulam oſtentaſſe ſatis ad obeunda imperata eſt. quòd ſi quis fatua pergat iterare verbera, quantumuis peritum ſeſſorem efferati excutient, ſeque dominumque vnâ ruinâ illident terræ & ſepelient.

Eadem videbis in homine. quo quiſque aut natura aut educatione plus retulit ingenuitatis, hoc plus comitate prudentique beneuolentia, quæ hîc ſimulare, ibi premere, alibi extimulare ac mulcere etiam nouerit, ad magna impellitur. cùm ad ſæuitiam rigidumque zelum prudentiæ temperamento deſtitutum, obdureſcat generoſior quiſque, & ante animam lubens volenſque ponat, quàm ex vero, & de pectoris penetrali obſequatur. Mancipia & compedibus ac flagris ingenia nata rigoribus ad obſequia impelles: liberior educatio feritatem aſpernatur, prudentique benignitate ducitur: nec ignes me-

metuet, ſi in illis amor inuitauerit: metuet roſas, ſi in has ſæuitia impulerit. tantum refert à qua mente imperia naſcantur. vis ad hæc promptum? fac amet imperata. amabit ſi imperantem amauerit. hunc amabit ſi in magnis virtutibus magnam profuſamque comitatem ac beneuolentiã perpetua prudentia inſparſam ſenſerit; ſi in magnis naturæ Deique donis, ſinceri patris affectum, doctæque matris vbera expertus fuerit; ſi pietati probitatique ſuauitatem ac prudentiam connexam viderit; ſi benè de Superiore ſenſerit, virtutum, ſapientiæ, donorumque illius admirator & cultor; ſi prudentiæ in illo habenas frenaque ſenſerit, hîc ſtringi, ibi laxari, ſemper tamen à ſapientię manu; ſi ſuaui lenimento durum ex ſe dominatum tanquã molli calce adnecti viderit; ſi ſcabrum aſperumq; imperij callum leni ſpongia prudentiæ dextera molleſcere expertus fuerit; ſi inter imperantium decumanos fluctus, moderata, & quæ plus prudentiæ quàm validi indolatique roboris referant, gubernacula tulerit; ſi in varijs vulnerum mo borumque generibus prudentes molleſque medici ſui

manus nactus fuerit.

Hanc de ſe in ſuis opinionem conabitur Superior Dei gloriæ ac familiæ ſuæ bono excitare; euitareq́ue quidquid huic aduerſatur, quo ad obſequendum faciliores promptioreſq́ue ſuos cõſequatur. Iniecta proinde ſi qua mentio fuerit rei à ſe ignoratæ, omni conatu ac dexteritate imperitiam teget, cauteq́ue prouideq́ue aliò ſermonem flectet. quòd ſi res prudentem hãc fugam non partiatur, peritorum, antequam certò quidquam ſtatuat, ſententiam perquiret, collaudabitq́ue illorum de re propoſita mentem. probatiſſima delegiſſe, ſcientiæ proximum eſt: neque difficilis delectus meliorum eſt, cùm Superiori perfacilè ſit, in quo quiſque ferè ſuorum plurimùm poſſit, cognoſcere. ad peritiſſimi ergo ſententiam ſi acceſſerit, licet fòrs error intercurrat, facilis venia eſt; cùm non deſint qui magis collaudent infelicem fortuitum in prudentibus exitum, quàm fortuitum in imprudentibus felicem. cùm illorum error meritam excuſationem promereatur, vt qui non ab improuido imprudentiq́ue delectu, ſed ab occultis fortui-

tiſque rerum cauſis, omnium ſapientiam fugientibus proueniat: horum verò felicitas non à prouida prudentique electione, ſed à fortuito quodam iactu, nulli prouidentiæ aut rationi innixo proficiſcatur; quo fit vt laudem nullam mereatur. felicitas dici poteſt quę fatuos non rarò comitatur, prudentia cenſeri non poteſt.

CAPVT XVIII.

Nimia fiducia ac diffidentia vitanda.

INter vtrumque hunc felicis prudentiſque gubernationis ſcopulum, peritus Superior nauigabit; cauebitque ſtudioſiùs ne in alterutrum illidat nauē, néue dum priorem fugit, impingat in ſecundum. cùm à quocunque perierit, periiſſe miſerum ſit. & quid intereſt à quo naufragium patiaris, aut cuius ferro iugulū prębeas, cuius telo cadas? cecidit aliquis, & inſepultus iacet fluctibus, aut toto pectore hoſtile recepit ferrū, hauſit venena: quid quęris à qua manu? omnia dixit qui cecidiſſe dixit. Nō feretur ergo nimia

Digitized by Google

in ſuos fiducia Superior; ſed neque diffidentia nimia. medium prudens inter hæc breuia iter tenebit. nam & nimia fiducia noxia imperio eſt; & nimia diffidentia pręcipitio proxima eſt; vt neſcias à qua maiora meritò damna timere debeas.

Nimia fiducia neglectum quendam imperijs adducit, cùm quaſi molli puluillo Superior ſuorum virtuti indormit, nulli rei manum admouens, nulli oculum intẽdens: poſitaque vniuerſim ſollicitudine, ſecurus vitam trahit curarum omnium ignaram. vnde fit vt inferior animos à Superioris ſui fiducia ſumat, maioraque ſibi ſpondeat, virtuti, ingenio, eruditioni, dexteritati, felicitati ſuæ; atque hinc non infrequenter, ad maiora viribus manum extendat, infelici plerumque exitu claudenda.

Sequitur deinde in inferiore Superioris ſui contemptus, cùm illum ignaua quadam quiete curarum vacua proſtratum viderit. & cùm omnia ſibi Superioris ſui indulgentia licere arbitratur, non ante audendi finem facit, quàm ad nullâ prudentiâ emendanda delapſus fuerit.

Tranſit

Tranſit verò tota ferè gubernatio ad illos quorum fidei domeſtica Superior credidit, cùm ipſe præter inanè Superioris ac imperij nomen nihil retineat. vnde fit, vt illorum iam gratiam ſibi captandam non pauci putent, hos obſeruent, placere his ſtudeant, vt à quorum ductu pendere videant omnia; Superiorem verò negligant, à quo ſi quid ſperandum, per illorum ora manuſque vident ſibi impetrandum: vt non immeritò toti ſint in illorum beneuolentia ſibi conciliianda; hos vnos venerentur & colant, per quos aditum ſibi ad optata parant: cumque toti ſint in horum comprenſatione, in neglectum quendam ac contemptum Superiorum deueniunt. è quibus deinde initijs callidè quædam ſubſtructiones naſcuntur Superiorem euertendi, ne quidquam placitum talibus intentatum relinquant; vnde mutuæ dein naſcuntur conſpirationes in Superioris caput caſuræ.

Exurgunt exhinc variorum etiam æmulationes, qui cùm neglectos ſe arbitrentur, Superioris ingenium, dicta, facta, nimiamque in paucis fidem damnent, ſeueri iam fa-

cti abditiſſimarum minimarumque rerum omnium cenſores, dum ſingula æmulo & curioſo oculo obſeruant. nec difficile eſt ſerijs ſcrutatoribus ingenioſa inuidentia damnanda reperire, dum Superioris vitam moreſque illorum diſcutiunt, qui Superioris fiducia pleni plerumq; contemnunt eos quos molitionum cogitationumque ſuarum non ſentiunt laudatores.

Huc accedit in magna ſæpè Superiorem rerum domeſticarum ignoratione verſari: dum enim ſuorum fidei ſingula committit, ſingulorum ſibi inſcitiam accerſit. quæ res quanta ſecum incommoda trahat, ignorare nemo poteſt. cùm enim felix adminiſtratio à cognitione pendeat, quid ſperari ab eo poſſit qui denſa illarum ignorantia laborat, nemo paulò prudentior non videat.

Intentum proinde oculum prudens Superior in omnes habebit, etiam in eos quorum virtuti ac induſtriæ tutò committi multa poſſunt. ne aut illi indulgentia inſoleſcant, aut æmulationibus oſtia aperiat, aut cum ingenti venerationis, auctoritatis & imperij diminutione dependere ab alijs cogatur;

tur; aut domeſticarum rerum ignoratione laboret. dabitque operam vt cōcreditorum ſibi rationem ſubditi reddant, quam & accuratè exiget: nec quidquam illos aggredi ſe inſcio permittet, intentumque dum fiunt in omnem partem animum habebit. cauebitq; in primis ne nimia alicuius fiducia, imperij partem alteri concedat; ſed ita viris etiam magnis exequenda committet, vt clauum ipſe teneat, nec à gubernaculo manū dimittat. Scio plus vni credi concedique poſſe, plus etiā debere quàm alteri, virtutiſq; ante omnia rationem habendam, prudentiſque eſſe paria viribus imperare; grauiterq; errare illos, qui cùm pari in omnes fiducia ferantur, nullo perſonarum delectu æqua omnibus imponant. In omni tamen fiduciæ oſtētatione vigilem vbique animum habeat Superior, nullius virtute ac prudentia conſopitum. ſic enim fiet vt & venerationem teneat, & imperij nomen ſuſtineat, & in officio ſuos contineat, & æmulationes arceat, & inſtructior paratiorque ad fortuita euadat, & in arduis conſilijs non deſtituatur, longa variaq; experientia eruditus, qui non alienā

Digitized by Google

tantùm manu facere, alieno ore loqui, ſed ſuo didicerit.

Cùm autem vigilem Superiorem & omnibus excubantem deſiderem, ac nunquam in plenum oculos claudentem, aut deſides ponentem manus, nec nimia ſuorum fiducia imperij habenas remittentem; tum diffidentem nolim, omniaque tuta metuentem, qui nihil ſuis credat, nullius virtuti quidquam putet indulgendum. cùm innumera ex hac diffidentia mala naſci neceſſum ſit. nam cùm non omnia exequi per ſe Superior poſſit, nec in oneris ſui partem alios vocet; fit vt plurima neglecta iaceant, & maximarum rerum ſpes magnæ corruãt, aut in herba ſua perdantur, ſuffocenturq́; in ſemine, priuſquam in florem exurgant, & ſperatos fructus proferant.

Ex hac deinde Superioris diffidentia, par in inferioribus diffidentia exurgit; cùm nihil pronius ſit quàm diffidentiam vnam aliam parere: mater nimirum prior facta ſecundæ eſt, vt viam illa huic ſtrauit. variæ poſt hæc molitiones exurgunt, partiumq́ue minùs religioſa ſtudia, euertendis conſilijs, ipſiſq́ue adeò

adeò Superioribus excogitata. magna Superior dignaque quæ eant in poſteritatem Religionis bono cogitat? mille eludendi generoſiores illius conatus modos inuenient. per ſe non poſſunt? aliorum operâ vtentur, & clam ferè & ex inſidijs inſurgent; nec finem facient, donec optatis fruantur; cum Deo an ſecùs, iuxtà habebunt. ſatis enim illis Superioris cogitationes euertiſſe. obtrectationibus deinde omnia replentur, & laudatiſſima etiam quæque improbantur. nec priuatis hæc parietibus clauduntur, decurritur ad externos ingenti bonæ opinionis damno. puſillanimitas etiam in inferioribus exoritur, & ignauiſſima quædam quies, agendarumque rerum perpetuum quoddam faſtidium. mutuæque hinc proſiliunt ſuſpiciones, ac in deteriorem omnia partem rapiuntur. Pectus vniuerſum explicat Superior, & quà verbis, quà factis patris recludit viſcera? filij inferior perſonam induit, & digna filio obſequia profert; in alium vtrimque ſenſum dicta reſque trahuntur, & dolũ ſubeſſe putant, & ſub amiciſſimis verbis inimicas machinationes tegi arbitrantur. Sed

neque ſi quid cum laude ac Religionis bono poſſit inferior, exequetur: ne in diffidentis Superioris gratiam quidquam feciſſe videatur. quin adeò gaudet, ſi in præceps cuncta labantur, adeoque & adiuuat & protrudit labantia, Superioris nimirum diffidentiam his præmiaturus. Eadem in Superiore reperies. ſi quid laude dignum in inferiore ſenſerit, preſcindet funem: ne probare cogatur illius conatum, cuius virtuti diffidit, & diffidentiam ſuam in inferioris laude damnare. quæ res vltimos nō infrequenter mœrores accerſit, emedullatque quidquid generoſioris ſpiritus fibris claudebatur, miſerrimaque demum tabe in ignauiſſimo otio perimit.

Moderabitur ergo gubernacula Superior, & inter hos ſcopulos peritus nauclerus nauem diriget. magnam fiduciam oſtendet ijs potiſſimùm quorum virtus fidem meretur; quorum prudentiæ documenta viuūt; quorum pietatis alijs præludunt exempla; quorum cōſtantiæ, roboris, dexteritatis alta impreſſa ſunt veſtigia. ac à tenuioribus initia ducet, inde per media ad grādia trāſcendet.

au-

audebit deinde plura credere, & fiduciæ latum campum aperiet; ita tamen ne omnem curam deponat, ne ſollicitudinem exuat, ſed excubantem vbique animum teneat.

Diffidentiam verò vitabit vt prudentis imperij peſtem, vt domeſticæ malaciæ tempeſtatem, vt ridentis elementi Aquilonios ventos, vt ſerenitatis nubem atram, vt fulgura & tonitrua pacato cælo. ac ſi quorundam mores illam depoſcant, non prodet tamen, ſed non committet ea quæ iuſtum metum minantur, nec vniuerſim tamen ab omni re excludet: ne callũ pudori obducat, aut verecundię ianuas claudat, aut pari diffidentia in Superiorẽ feratur. parua proinde primò credet, & à quib. dedecori timor nullus; ſi labatur, monebit; iterabit deinde fidẽ. nouus enaſcitur error? noua ſuccedant monita, atq; iterum fides. moneat tamen iuſtã datam diffidẽtiæ cauſam, experiri interim velle, ſed ita vt à ſecundo hoc experimento reliqua fides pendeat. ſi exſpectationi ſatisfecerit, maiora paulatim cõmitti poterũt. ſi priùs in quã pluribus minoribus virtutẽ induſtriamq; ſuam probauerit. ſin poſterior ſẽper error deterior prio-

priore eſt; edocendus erit erroribus clarè retectis, nihil illi tutò committi poſſe, conſultumq́; omnino eſſe vt pulſus negotijs, Deo & ſibi viuat.

CAPVT XIX.

Nunquam tantum vni tribuat vt alios negligat.

MAgna proinde cautione ac prudentia in imperijs opus. Dictum à magno Philoſopho: *Communis cuſtodia principatus, neminem vnum magnum facere.* ac æmulationum in primis occaſiones arcendæ: è quibus odia, detractiones, mutuæque euerſiones naſci conſueuerunt. iacet enim his adminiſtris calcatus amor, quo vno omnis firmatur Religio, inimico quocunque ferro viribuſque validior: ſternitur beneuolentia, qua tanquam neruis innectitur, tanquam propugnaculis integitur, tanquam ferro armatur Religio hoſtibus inuicta. vbi enim plus longè vni quàm reliquis tribui domeſtici ſenſerint. armantur concordibus ſtudijs in vnum om-

omnes. cùm rara in inferioribus potentiæ & amicitiæ concordia ſit, quid? quòd & in ipsũ inſurgant Superiorem. apertè non audent? ex inſidijs petent, & felicitatis ſuæ partem magnam arbitrabuntur, ſi quacunque data via, æqua, iniqua vtrumque euerterint.

At licet quis ea ſit animi magnitudine, vt aut priuatæ vitæ ſtudio, aut humanarum rerum omnium contemptu, odia ſuorum negligat; nemo tamen prudens gratuitò ſuorum inuidiam prouocabit, ac ne vnius quidem; cùm non ignoret, plus poſſe vnius inimicum pectus in damnum ac interitum, quàm centena validis beneficijs aſtricta in ſalutem. neque facilè quemquam reperias ea mentis conſtantia, vt omnem ex æmulatione calumniam natam in plenum contemnat, aut tanquam grãdinem tecto, aut tanquam iratos fluctus pręualida rupe, excipiat. cùm ferè molles in calamitate mortalium animi ſint. & generoſiſſimus quiſque quacunque innocentia tectus, nunquam tam potenter æmulam contumeliam repellit, quin veſtigia aliqua referat, ſi non vulneris, liuoris ſalutem, aut interſparſi pulueris:

ac licet vincat, ſentit tamen; homo eſt. & quamuis animo Superior, non rarò corpore ſuccumbit, & ægritudine aliquà è carnis mentiſque luctà exurgente, mortalem ſe eſſe teſtatur. vincit quidem vincente animo, ſed magnorum ſępè Imperatorum exemplo nobilem victoriam non ingloria morte ſignat. cùm omni inimico ferro nocentior longè ac validior calumnia ſit: quæ à leuiſſimis ſæpè æmulationum ac offenſionum initijs nata, plus ex inſidijs, quàm aperta magnorum bella, & armatę procurſantes legiones, poteſt in interitum. Non dabit ergo vltrò æmulationibus, & in his, oblocutionibus & calumnijs meritam cauſam prudens Superior; quin adeò, vt viperæ linguam, vt ſcorpij caudam declinabit illam. ſin nulla ſua culpa, aliorum improbitate, aut ingeniorum quorũdam nouis ſemper rebus ſtudentium inquietudine ac prurigine nata fuerit, excipiet vt roboris ſui aream, virtutis ſuæ cãpum, triumphi ſui currum, præmiorumque cælo reponendorum materiam. quòd ſi inter hęc delaſſatum onere corpus fatiſcat, ſtabit tamen erectus animus ſpectatore ac pro-

uo-

uocatore Deo ſuo dignus; & exultabit etiam in hoc delinquentis deliquio corporis, propior iam cælo ac præmiatori ſuo Deo, cui vni ſudauit, vni vixit.

In quo illud etiam ſtudioſè cauendum Superiori, ne ſupra reliquos nimia vnius creſcat potentia. ne & imperare incipiat qui ſubeſſe debebat, & pariare ſe audeat & poſſit inferior Superiori; & metum è potentia, clientum turba, gratiaque incutiat; & ſe reſque ſuas tam valido nexu firmet, vt moueri loco ſine imperij conuulſione, aut perire vnus ſine plurimorum interitu non poſſit. quod vbi fit, in præſentiſſimum diſcrimen imperiũ adducitur, audeat enim tantùm, non deerunt ſtudia & adminiſtri. ferè enim noua circumſpectamus, priorum pertęſi, cùm noua è nouis ſpes non teneat; etiam deteriora, quia recentia veteribus melioribus anteponimus, ita nouorum ſemper auidi, præteritorum tædio ſumus, & è varia recentium iactatione, ſi non certam, fortuitam nobis felicitatem promittimus. Nec nouum hoc: factũ omni æuo. ſub Cæſ. Aug. Tiberio, Caligula, Domitiano, in quorũ capita, familiariũ

pri-

primi ſola purpura inferiores ſurrexerunt. factum in Arcadio à Rufino, in Iuſtiniano ab Hypatio & Probo, in Commodo à Perennio, in Seuero à Plautiano, in Gambacurtio Piſanorum Principe ab Appiano. vt bene Catulus apud Dionem: *Non debere vni alicui viro tot imperia vnum ex alio committi, quòd experientia deprehenſum ſit, rem eam eſſe longè periculoſiſſimam. Ea quippe natura eſt animarum humanarum, vt non modò iuuenes, ſed & ætate prouectiores, poſteaquam multum temporis in poteſtate tranſegerint, patriis moribus haudquaquam ſibi viuendum ducant.* Benè etiam illud: *Imperandi parendiq́ vciſſitudo reprimit mentes faſtuoſas & gloriæ cupidas, neque ſinit inebriari nimia potentia.* Non permittet ergo Superior eò inferiorem creſcere, vnde reuocari aut non poſſit, aut non ſine nouo ſæculi ſui exemplo poſſit: nec ita ſe ingeneroſus abijciet, vt imperium in ſe inferiori concedat, ab huius voluntate & nutu pendeat. durum enim eſt ſuorum imperia pati, miſerum ad ſuorum voluntatem abijci, miſerrimum inferiorem Superiorem, vt ſeruum dominum ferre, & ad illius conſilia tanquam genua

nua ſterni.

Prouidendum deinde, ne plus apud ſuos gratia, auctoritate, veneratione inferior quã Superior poſſit. ea enim res imperio proxima eſt; cùm præter inane nomen nihil apud Superiorem reſideat, reliqua inferior occupauit. omnia enim poſſidet qui animos poſſidet: à quibus qui excidit, omnibus excidit. & ille verè imperat, non qui nudum imperij nomen tenet, ſed qui animis imperat. imperare his in potentia facillimum, cùm nulla re magis obſtrictam mentem quàm beneficijs teneamus: benefacere verò in potentia qui volet poteſt, volet qui imperium cogitat, cogitare in magna potentia, vt in ſummis opibus procliue eſt. & ferè in magna potentia non dominari inſtar ſeruitutis eſt. ac licet ſæpè palàm compoſitus pudor ſit, intus tamen ſumma imperium adipiſcendi libido eſt, eruptura ſi occaſio dederit.

Sed neque iuſtam cauſſam prudens Superior reliquis præbebit, omnia inferiorum aliquem apud ipſum poſſe; cùm ea res magnam metuendámque clientum turbam prouocet. illum enim colunt, Superiorem

ne

negligunt; illius oſtia, vultum nutumq́; obſeruant, Superioris deſtituunt; illius gratiam beneuolentiamq́ue venantur, offenſionem metuunt, de Superiore poſtrema cogitatio eſt. hinc fit vt dum hunc colere & venerari aſſueſcunt, pro Superiore cognoſcere incipiant: ac licet nomen abſit, rem tamen poſſidet.

Fugiet verò hoc prudens etiam inferior, conceſſamq́ue ſibi à Superiore potentiam venerationemq́; in ipſum Superiorem exẽplo Agrippæ trãsferet: quem licet aut nimis indulgentem aut ignauum etiam nactus fuerit, quidquid tamen laude dignum in hunc trãſcribet. magna dein illum veneratione, palàm maximè, colet: dicta factaque illius apud alios tuebitur; ſi non poteſt, nunquam damnabit, memor magnæ potentiæ magna præcipitia adiacere. Dictum verè: *Quidquid exceſſit modum, pendet inſtabili loco*. Et illud Stoici: *Segetem nimia ſternit vbertas: ſic rami onere franguntur, ſic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit. qua non tantùm in aliorum iniuriam, ſed etiam in ſuam*

per-

vertuntur. Et alibi: *Quem diu fortuna ſecuta eſt, eum repentè velut fatigata diſſoluit*. dicam. Quē diu fortuna ſuſtulit, eum repentè tanquam ſub onere fatiſcens, deponit. cauebit proinde ne in ſe partem vllam imperij trahat. ſi Superioris voluntate cogatur, tanquam alienâ veſte qua paulò pòſt exuendus eſt, vtetur; & dum omnes modeſtiâ vincit, beneuolentiaque antè occupat venientes, tum magnificè ſemper de Superiore loquetur. nec vnquam præ ſe feret poſſe quod poteſt, conceſſamque poteſtatē extenuabit, ne, ſi quando fortuna mutauerit fidem, riſum pro cōmiſeratione referat. Exempla nos moneant, Seiani ſub Tiberio, Seueriani ſub Seuero, Aſiatici liberti ſub Vitellio, Theodori ſub Iſaacio, Lentuli Getulici ſub Caligula, Domitij Corbulonis ſub Claudio, Parmenionis ſub Alexandro, Laudunēſis ſub Carolo Simplice, Aluari de Luna ſub Ioanne II. Hinc prudens illa à Stoico calamo monitio: *Quiſquis veſtrûm tutam agere vitam volet, quàm plurimū poteſt iſta viſcata beneficia deuitet: in quibus hoc quoq; miſerrimi fallimur, quòd habere nos putamus; ſed habemur. In præcipitia curſus iſte deducit*

ne-

Digitized by Google

neſciunt enim *diu ſtare ſucceſſus, & quoties prodire vltrà felicitas non poteſt, redit*. vt ſapienter illud apud Tragicum: *Dum excelſus ſteti. nunquam pauere deſtiti*. ita *ſecundæ res* etiam *ſapientum animos fatigant*. nulli hoc nouum, cùm & magnum Senecam fatigarint.

Dabit præter hæc operam Superior, ne tanta in quemquam ſuorum eroget vt plura non poſſit. ſemper enim quod largiatur, ſeruabit ſibi, & quo ſuorum in ſe ſtudium meritaque remunerare poſſit. nam ſi ad ea ſuorum quemquam prouexerit, vt noua merita nouis exſoluere præmijs non poſſit; victus eſt beneficio Superior, & inferior iam inferiore eſt, cui ſe ſentit obſtrictum, nec remunerando parem. quæ res moleſta & grauis in primis Superiori eſt; & ſupra fortunam ſuam ingentes addit animos inferiori; & ad imperia, aut odia, aut Superiorum contemptum viam ſternit. Cauebit verò inferior, ne licet poſſit, Superiorem beneficijs vincat, memor veteris dicti: *Beneficia eò vſq; læta ſunt, quò videntur exſolui poſſe: vbi multum anteuenêre, pro gratia odium redditur*. quod in imperijs potiſſimùm locum habere conſueuit, vbi

ab

ab inferiore vinci, ſeruitutis quoddam genus videtur. quare vt maximè vicerit, diſſimulabit inferior, & victum ſe vltrò fatebitur, & Superioris in ſe beneficia compoſitis in hanc rem verbis extollet in maius, ſua deprimet.

CAPVT XX.

In omni delatione potiorem aurem reo concedat.

IN graues alioqui errores nulla poſtmodum pœnitentia emendandos labetur Superior. Statuat proinde hæc ſecum, nec abduci ſe ab his, vllis minis, pollicitationibus, damnis, commodis, amore, odio, familiaritate, aut alio affectu ſinat.

1. Nulli delationi certò inhæreſcere, aut tanquam indubitatam in animum admittere, certus magnam partem dubio initi fundamento, vanis perſuaſionibus, opinionibus, coniecturiſque fallacibus, infidis narrationibus.

2. Ad nullus etiam viri magni delatio-

nem iudicium firmare. nam & falli vir cætera probatiſſimus, & in errorem ab alio adduci poteſt. cùm optimus quiſque Religionis ſuæ zelo perfacilè in errorem inducatur. Facit hoc amor. dum enim damna metuit, imminentia credit, & eò ferè, narratis, aut è variis coniecturis elicitis, adhæreſcit magis, quo amat magis; quoque maiore affectu in Religionem fertur, eo damnorum timore faciliùs metuẽdis aures fidemque accommodat.

3. Ad nullius licet optimi viri delationem ſententiam ferre. deterius enim hoc priore eſt. nam vt bonus, adeoque & prudens ſit qui defert, errorem tamen intercurrere poſſe, ſiue circa delinquentis perſonam, ſiue circa rem ipſam quotidiana nimirum experientia docemur. & nos ipſi quàm ſæpè fallimur? quàm ſæpè nunquam obuẽtura manibus tenere arbitramur? quoties in familiariſſimis rebus labimur? quoties in perſona aut re ſurrexit error? Cùm verò plurimum de Superioris auctoritate ac prudentiæ opinione detrahat ſemel latæ ſententię retractatio, ne ad hãc cũ non poſtre-

ma

ma famæ iactura deſcendere cogatur, nunquam ſententiam niſi de re penitus indubitata ferat? memor faciliorem eſſe tardioris credulitatis, nimiæque cunctationis, quàm nimiæ credulitatis ac præferuidæ properationis veniam.

4. Nuſquam è nudis delationibus ad aliquid opere explendum procedere. quod deterrimum omnium eſt. quid enim ſi poſt hæc innocẽtem reum deprehendat? quanta conſcientiæ inquietudo inſurgit? cùm non rarò innocens damnatus, mœrore contabeſcat, ac magnus Religionis cultor cæca Superioris executione cadat, omni frequẽter reparationis ſpe erepta.

5. Nunquam inaudito reo quantumuis noxio, certò aliquid apud animum ſtatuere. neque enim ad certò aliquid ſtatuẽdum præiudicia valere debent, neque ex vno pluribúſue eiuſdem licet generis, certo aliquid colligi poteſt, coniecturas naſci probabiles non nego. Suſpendet tamen in iis iudicium prudens Superior; neq; ex vno alteróue delicto, aliud inferet. poſſe fieri in tanta lapſuum pronitate credet, certò nihil

affirmabit; ſed nec negabit quidem, verum ſententiam in delicti cognitionem differet.

6. Nihil commoto recenter à delationibus animo peregere. cùm ferè in animo commotiore prudentiæ locus non ſit; exulat enim plerumque prudentia à turbata mente, vt à turbato mari malacia. & cæca omnis commotio eſt, alienis oculis pedibuſque videt & ambulat. ſedatum compoſitumque pectus ſapientia ſibi poſcit, & ab omni partium affectu remotum.

7. In omni delatione mentem; pulſo calore ad quoddam frigus deducere. differre etiam (quando res moram patitur) in alterum aut plures dies delati delicti diſquiſitiones. donec deferueſcat æſtus: ſola namque mora, ad temperiem quandã inęſtuans animi calor deducitur, & alia omnia à pacato corde quàm à cõmoto prouenire videmus. fit enim in hoc quod præpropero cæcoq; curſu ruentibus, vt in obiectam ignari foueam aut præcipitia prolabantur, nec antè periculum ſentiant. quam pręferuidi curſus damna tulerint.

8. In omni proinde delatione perſuadeat

Supe-

Superior ſibi; poſſe delatorem falli, ſeu viſa ſeu narrata deferat. poſſe deinde humani aliquid intercurrere etiam in bono viro, nimiæ nimirum credulitatis, facilitatis, indiſcretionis, zeli, aut quandam morum diuerſitatem, ac naturarum pugnantiam, pronumq́ue in ſuſpiciones animum, moroſi denique & ſeueri cenſoris ad triſtia & metuenda pronitatem.

9. Delatione facta tacitus ſecum conſideret Superior, num quæ inter deferentem & reum æmulationis cauſſa intercurrat. num vetus aut noua alienatio, num quæ muneris prætenſio, aut gratiæ alicuius aucupatio. audita deinde an viſa narret, deferentis etiam vultum, verba, oculos, membrorum iactationem, ac compoſitionem, circumſtantiaſq́ue omnes ſerius indagator diſcutiat, mores denique & ingenium deferentis & rei, ac vtriuſque anteactam vitam, reliquorumq́ue de vtroque opinionem. Ac licet ſancti probiq́ue in delatore mores magnũ pondus delationi adferant; reiq́ue minùs probata vita, aut in eodem genere notata delicta, accuſationis probabili-

babilitatem augeant; cogitare tamen Superior debet, falli delatorē vel ſuo vel alterius vel primi narratoris vitio aut errore poſſe.

10. Vocet deinde ad ſe reum, cui frigidè potius quàm calidè delata proponat, minuat etiam verbis delictum, humanamq́ue conditionem ad lapſum procliuem adferat; pronumq́ue in ipſum animum oſtendat, verbiſq́ue è paterno pectore depromptis beneuolētiam iuuet. audiat deinde pro ſe dicentem reum, vultumq́ue purgantis ſe intueatur, totamq́ue corporis ac oris compoſitionem, in dicendo fiduciam, hęſitationem, ruborem, pallorem, trepidationem, conſtantiam, eademq́ue cogat repetere, vt videat num immemor dictorum prolabatur ad alia, circumſtantias mutet, aut à prioribus diuerſis coloribus depingat, conceſſa antè neget, negata concedat. quod ſi innocentiæ ſuæ teſtes adducat, audiat eos Superior priuſquam conueniri à reo poſſint, & audiat ſingulos, neque quidquam intentatum relinquat, quo & innocentem culpa liberet, & nocentem pro delicti grauitate puniat.

11.

11. Quòd ſi audita delator referat, det operam Superior vt ad primum narrati delicti auctorem deueniat, antequã cum reo agat. Videat deinde quibus narrationis illius auctor nitatur, ſuſpicionibúſne & coniecturis nudis, an alijs certioribus. mores etiã huius conſideret. an ad delationes pronus, ad cenſurarum ſeueritatem, ad res ſupra veritatem augẽdas, aut ad alium minus ordinatum affectum; intercedátne aliquid alienæ mentis, offenſus à reo ſit, aut ab hoc in ſimili aut diſſimili delicto accuſatus, habeátne aliquem ſibi perfamiliarem & amicum, reo aduerſum; cùm ab his ſæpè naſci accuſationes ſoleant. aliquáne prærogatiua reus fulgeat, qua accuſationis auctor careat; aliquo munere fungatur, quod accuſator ambiat; aut impedimento reus accuſatori ſit ad aliqua ſperata.

12. Si delator ſecretum obtendat, negetque conceſſum ſibi primi auctoris nomen prodere; ſerio ſi vnquam aliàs, deferentis & delati mores vitamq́ue intueatur, num quæ ęmulationis cauſſæ, eaq; omnia quę num. 8.9.11. dicta ſunt. Quòd ſi pergat accuſa-

Digitized by Google

accuſator, magnaque conſtantia inſiſtat accuſationi, nec aliam prætexat cauſam, quàm rei ſalutem, bonum commune, periculum multorum, imminentia damna: audiat delatum, ſi viderit vultu verbiſque conſtantem, ad obiecta intrepidum, fortemque ſimul ac modeſtum, & vbique ſui ſimilem, nec minore conſtantia in negatione ac purgatione quàm deferentem in accuſatione; rem totam ſuis ſuorumque precibus commendet Deo, ab eoque in tam ancipiti re conſilium ſperet. Quòd ſi poſt omnem conatum, nihil in vtramque partem certi elicere potuerit; videat, an non ſit conſultum, vtrumque, ſi in eodem domicilio commorentur, loco, ſi fieri poteſt, mouere.

13. Si delator viſa à ſe referat, reuſque neget, nec minus hic fortis in negatione quàm ille in accuſatione ſit; poſt tentatos variè vtriuſque animos, ſi parem vtrobique verborum conſtantiam repererit, nec in vlla circumſtantia à ſemel affirmatis aut negatis deflectentes, poterit canonicam vtrique purgationem imponere. Quòd ſi per varias ac frequentes iteratáſque interrogationes,

falſa

Digitized by Google

falſa quædam & prioribus obiectis aut negatis pugnantia repererit (cùm vna veritas, multiplex falſitas ſit, ac qui mendacio innituntur, vix, ſi per interualla rogentur, in eodem gradu permaneant) reum ſe deprehendiſſe cogitet. cuius in primis ſaluti ſtudere conabitur, & ad veritatem omnem retegendã inducere, quo certius animæ illius aliorumque ſi quos malum tangat, medeatur. quicunque denique ſiue accuſator, ſiue reus falſitatis in circumſtantijs conuictus fuerit, licet in accuſatione delator, aut in delicti negatione perſtet reus, domo (quæſita alia occaſione) mouendus erit: neque enim expedit in vna familia vtrumque reſidere.

14. Quòd ſi complicem complex accuſet, ingens fidem adhibendi occaſio eſt. ac niſi clarè ſe qui accuſatur, purget, doceatque aut ſe tunc temporis domo abfuiſſe, aut alteri adfuiſſe, vix denegari accuſatori fides poteſt, cùm factus ipſe ſit accuſator ſui, quod gratuitò nemo prudens facit. Et tamẽ etiam in hac accuſatione improbitas aliqua latere poteſt, cùm qui accuſat, vltronea

hac ſui denuntiatione ab omni pœna eximendus videatur; qui accuſatur, plectẽdus. Iam quorumdam malitia aliquando tanta eſt, vt non ſubterfugiant audire malè, dum deterius aduerſario ſit. Prudens proinde Superior ſingula diſcutiet, nec temerè ad ferendam ſententiam deſcendet: ſed circumſtantijs omnibus excuſſis, poſt preces ad Deum fuſas, plus ſemper cęteris paribus vltroneo ac ſpontaneo ſui accuſatori quàm reo delictum neganti tribuet. nihil tamen grauius ſtatuet quamdiu in delicti negatione delatus perſtiterit, maximè ſi ſe canonicè purgauerit, innocentiamq́ue ſuam iuramento teſtatus fuerit. quòd ſi fecerit, ad eandem purgationem accuſator adigendus erit. quod vbi vtrimque factum fuerit, vni Deo rem totam Superior committet.

15. Si verò muliercula ſit quę accuſat, videat Superior quâ illa famâ ſit, quâ in illam diem integritatis opinione fuerit, quo ingenio, moribus, modeſtia, audacia; alienationis aliqua cauſſa interceſſerit, aut æmulę alicuius ſibi pręlatę inuidentiâ odium

ex

ex amore natum ſit, an fòrs etiam ex ſolicitatrice accuſatrix. qua in deferendo verecundia, qua libertate aut impudentia, quibus verbis rem explicet, caſtis an inuerecundis, ſine fronte an cum pudore, quo fine deferat, ſuo an alieno impulſu, vna tantùm ſit accuſatrix an plures. Mores deinde diſcutiat accuſati, leuis ſit an maturus, an in quaſdam minùs caſtas narrationes verbaque pronior, verbis vtatur religioſis an ſecùs, orationi deditus an in hac frigidior, mortificationis ſtudioſus an ſui amantior, maléne antè audiuerit, maximè in ſimili delicto. quòd ſi plures veriſimiles coniecturæ probabilem rem fecerint, conſultius fuerit munere & loco mouere, occaſionemque ſubtrahere, licet in negatione reus perſiſtat; maximè ſi frequentiùs in ſimilis delicti ſuſpicionem venerit. Quòd ſi prima accuſatio eſt, nec quidquam in illum diem ſiniſtrè de illo auditum, ſteteritque intra religioſos mores; nihil ad vnius mulierculæ accuſationē mouendum: neque enim minus reo, viro religioſo, fortiter in negatione perſiſtenti, quàm vnius mulieris accuſationi

Digitized by Google

deferendum. Inuigilandum nihilominus talibus, obſeruandi mores, agendi cum illo ſexu conſuetudo, maturus an familiarior, breuis an in ſermocinatione prolixior, facilis in illarum viſitationes; ac, in his vultu ad modeſtiam, an in liberiorem riſum compoſito; curioſior in oculorum iactatione, an verecundior in depreſſione ſit; expeditus in illarum confeſſionibus, an protractior; aliáque generis illius quæ in delati delicti cognitionem deducere poſſunt, ſeriò inueſtiganda erunt. Videndum deinde cui illa accuſatrix conſcientiam ſuam credat, qua moderatione ac modeſtia ſe habeat, virginem moribus referat aut matronam caſtam, an licentiores mores minùs caſtum pectus prodant. nec difficile erit per aliquam illius ſexus cui tutò fidi poſſit, mores illius, ſuppreſſa tamen cauſſa, cognoſcere.

16. Quòd ſi plures accuſatores fuerint, non ideò inauditum reũ damnabit: ſed accuſationum capita percurret, conferetque inter ſe dicta, videbit conſentanea an pugnãtia deferant, an ſibi in omnibus conſtent ſinguli, an omnes: an audita an viſa narrent;

an ab

an ab vno capite accuſatio proficiſcatur, quæ in plures poſtea diſperſa fuit. ſæpè enim dum conſentibus nimiùm verbis, ordine, circumſtantijſq́ue audita narrantur, ab vno fonte, & narrationis totius ſtudioſo compoſitore, accuſatio profluit. auctore primo reperto diſcutienda quæ ſuprà recenſita ſunt. Vidēdum etiam cùm plures ſunt, quales ſint qui accuſant, iuncti mutuò ſtrictiore amicitia, morum ſimilitudine, quibuſq; fundamentis accuſatio tota nitatur: quaq́ue in illum diem reus vitâ, moribus, aliorumq́ue opinione, integritatis & innocentiæ famâ. num quid in hoc ſit inuidendum, num quæ dignitas cui nata ſuccreſcere ſit æmulatio. num ſperare aliquid accuſatores poſſint reo munere aut loco deturbato. num denique offenſi è quacunque cauſſa à reo fuerint. Incredibile enim dictu eſt quantum hæc humana animi candorem obnubilent, pectoris ſinceritatem obtenebrent, veri lumen contegant, vt quæ non ſunt videre ſe arbitrentur: & fœcunda denſarum ſuſpicionum nebula, veritatem omnem nebulis ſubducant, falſaq; pro veris proſpectanda præbeant:

beant: vt accidat his quod febri laborantib. quibus à palati amaritudine, etiam ſuauiſſima amara videntur, & è melle & ſaccaro fella legunt & narrant. Idem in vitiato affectu cogita, vertit in naturam ſuam prauam, quidquid porrexeris boni.

17. Si domus aut familiæ Superior ſit qui accuſatur, maiore opus diſcuſſione accuratioreq́ue inueſtigatione, cùm multa ratione muneris in illo ſint, quæ æmulationes alienationeſq́ue animorum nata ſunt producere; vt nimia Superioris vigilãtia, repreſſa multorum libertas, illicitorum negatio, prætenſarum conceſſionum reſectio, arctior diſciplina, ſat magnam in quibuſdam ad commoda ſua pronioribus cauſſam indignationis, querimoniarum oblocutionumq́ue dare conſueuerit, amplamq́ue præbere materiam Superiorum dicta factaq́ue ſolertiùs propiuſq́ue inueſtigandi & carpendi, bona etiam in deteriorem partem & alienam ab auctore mentem interpretandi. Non quòd Superior ſemper extra culpam & noxam ſit, aut immunis ab erroribus ac delictis; ſed quòd in eo munere maiorem

cam-

campum æmulationibus offenſionibuſque ſubminiſtret: è quibus deinde accuſationum flumina tanquam à fontibus ſuis fluũt. quo maiore opus in his induſtria. audiendi tamẽ delatores, ac faciles etiam aures præbendæ, ne repulſa aut audiendi moroſitate à grauiſſimarum etiam rerum accuſatione terreantur. verùm ſi vſquam intentum in omnem partem in hac re animum habere oportet. diſcutienda obiecti delicti qualitas, perſonarum auditio, narratorum veriſimilitudo, pacato an commoto animo deferantur, aliquídue intercedat offenſionis aut humani affectus. aliorum etiam de Superiore, maximéque probatiſſimorum, & in quibus nulla mentiendi occaſio, ſolerter ſuppreſſa cauſa, inueſtiganda ſententia. Superior deniq; ipſe audiendus, nec damnandus niſi re compertiſſima. Quòd ſi vnus tãtũ ſit accuſator, nec aliunde quidquã aſtruẽdo ac confirmando delicto haberi poteſt, maiore etiã cautione opus, maximè ſi obiecta Superior neget. Quod ſi accuſatorẽ ſuũ ſuperior certò nouerit, perſtetq; in negatione vt ille in accuſatione, videndum an accuſator loco mouendus ſit.

ſit. in qua re magna omnino opus prudentia ac circumſpectione. neq; enim facilè amouendus accuſator, ſi veriſimilia attulerit, ſi probabilem accuſationem fecerit, ſi illam non leuibus indicijs docuerit, ne, cùm caret Superior obſeruatore, liberiùs delinquat. neque tamen ſine ſollicitudine eſſe licet, cùm periculum ſit ne in cognitum delatorem, qua palàm, quà priuatim, quacunque arrepta occaſione, inſurgat, rigoribus etiam ac ſæuitia fatiget ac frangat: aut abeat denique domus tota in partes; dum alij Superiori, accuſatori alij adhæreſcunt. quod perfamiliare eſt euenire, quandò res palàm innotuit: vt ſi vlla in re; magna hîc opus ſit ſolertia ad veritatem eruendam. Quòd ſi certò nihil cognoſci poſſit, videndum quæ pars probabilioribus fundamentis nitatur. ac ſi nec hoc ſciri ſatis poſſit, aut mutuò conciliandi erũt, laudato in accuſatore zelo, pulſa in Superiore delicti ſuſpicione, aut accuſator aliâ quæſitâ cauſsâ mouendus erit.

18. Conſultum deinde interdum fuerit, quando per ſecreti leges licebit, viro alicui graui, prudenti, neutrarumque partium,

aut

aut pluribus etiam, ſi rei id magnitudo ac incertitudo poſtulet, accuſationis diſquiſitionem committere. vt vtramque illi partem ſinguli audiant, audita conſiderent, ac taciti etiam ſinguli calamo committant. Examinet demum omnia ipſe Superior, fortè alia, aut pugnantibus circumſtantijs narrata reperiet, cùm varias illas narrationes dictaque inter ſe compoſuerit.

19. Seriò denique in omni delatione, locorum, temporum, perſonarum, modorum circumſtantias examinet: cùm hæ ſolæ ſæpè veritatem aperiant. frequenter enim narrantur quæ vel in talem perſonam, locum, tempus, modum cadere non poſſunt: aut quæ deferentis æmulationem, alieniorémue animum produnt: aut quæ in dubia primi narratoris fide, aut melancholica perſuaſione fundantur. quod euenire aliquãdo in fœmineo ſexu videmus: quæ quidquid animus atro triſtique quodam humore oppreſſus dictauerit, pro indubitatis narrant. quę tamen ſi prudens ſolerſq; Superior propiùs conſiderauerit, falſa è circumſtantiarum maximè ſeria diſcuſſione, deprehẽdet.

In

In his ſimilibuſque delationibus, niſi Superior prouidè, moderatè ac circumſpectè rem inſtituat, matureque ac tarde ad ferendam ſententiam deſcendat, nihilque niſi compertiſſima re ſtatuat; ſe alioſque ac familiam vniuerſam in præcipitia damnaque nulla poſtmodum arte ac prudentia emendanda, impellet. noxios pœniſque digniſſimos præmijs afficiet, & ad prima Religionis munia, cum infami Ordinis prolapſu, florentiſſimarumque familiarum interitu promouebit: innocentes, viroſque ad maxima quæque natos in ignauo otio conſeneſcere compellet. ita fiet vt virtute ornamentis nudata, vitio præmiato, ingens incitamentum ac calcar in omnem licentiam, improbitatem ac calumniam addatur, validaque ab omni probitate ac religioſitate auocatio incutiatur, via ad optimum quemque ab omni digniore gradu deturbandum aperiatur, animuſque probatiſſimo cuique ad Religione digniſſima contendendi eripiatur, maneatque deſtituta ac nudata Religio bonis, improbitate per calumniandi licẽtiam, facilemq; Superiorũ crudelitatem vincẽte.

Iam

Iam ſi facilis in delationem & crudelitatem Superior ad alium Superiorem, aut ad ſupremum etiam per litteras decurrat, remque vt indubitatam referat, verbis etiam augeat, vt non rarò in hoc genere fieri aſſolet, quid niſi innumeris ſe ferè induat difficultatibus? nam ſi falſa denunciauit, plurimum illi apud omnes retecta falſitate, de prudentiæ ac de viri etiam probi ac Religioſi opinione decedit. Adde, plerumque in animo falsò delati remanere quoſdam alienę mentis in nimis credulum Superiorem aculeos, non niſi cum vita ponendos. ſed & graues exurgunt conſcientiæ ſtimuli, cum temerè ſe crediditſſe, temerè etiam falſa denunciaſſe ſenſerit. Et fortè dum imprudentiam ſuam, nimiamque in credendo ac deferendo facilitatem aperire Superior erubeſcit; manet graui hac aſperſus nota innocens, nec illati damni finem niſi cum morte ſentiet. Quòd ſi ad falſa hæc eluenda victor ſui omni conatu Superior exurgat, impreſſa tamē ſemel delicti opinio detergi vix poteſt; cùm plerumq; aliquid vulneris aut cicatricis, aut cōceptæ ſiniſtræ opinionis adhæreſcat, quæ non

non morientem modo comitatur, ſed & poſt cineres & buſta in multorum animis viuit. tantum poteſt ſemel concepta veri an falſæ rei opinio. indiuiduo nexu copulatur, adeoque & vita functis ſupereſt, & crudeli perennitate ſæuit in mortuos, quaſi non ſatis ſit improbitati ſæuiſſe in viuos: ita non contenta calumnia depaſto viuentium meliore ſanguine, barbara quacunque crudelitate immanior, nec cineres patitur illæſos, tam diu nimirum reum in ſuo puluere peremptura, quamdiu improbæ delationis memoria vixerit. quæ ferè tanquam per manum tradita, ſcelerati hominis peſſima progenies, fœcunda noxiorũ generatione, tranſit in poſteros, victura ſemper, peremptura ſemper. à tam paruis initijs nimiæ Superiorum credulitatis, mala tanta, æternæ nimirum innocentis animæ dilaniationes.

CAPVT. XXI.

Detractores arcendi.

ET coërcenda etiam eorum licẽtia. Lauda-

datus Plinio Traianus, quòd delatorum pōtentiam fregiſſet; Suetonio Auguſtus, quòd contempſiſſet. nec minor laus Honorij & Theodoſij: *Quiſquis crimen intendit, non impunitam nouerit fore licentiam mentiendi: cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicij*. Omnino chriſtiane: digniſſimi qui imperarent. Fuit in eadem ſententia Aurelianus Imperator. Multa apud Liuium, plura apud Tacitum & Suetonium reperies. ferè enim Superiores difficultatibus implicant. ita Ammonitarum Regem, Dauidem, Ariſtobulum, Herodem Aſcalonitam, Philippum Macedonem, Imperatores Claudiũ, Commodum, ac Richardum Angliæ Regem, alioſque mille incommodis induerunt, compluresque vita etiam & regno detracto exuit. ita Hadrianus cętera magnus Imperator, detractoribus obſequens, amiciſſimos hoſtium loco habuit Tacianum, Nepotem, Sexticium, Clarum, plures. Eduardus II. Anglię rex nobiliſſimos quoſque ſecuri ſubiecit, vxorem filiumque regno pepulit, ipſe eodem exutus. Lapſus etiam in hac re Conſtantinus magnus in Criſpo, filio. Apud Domi-

mi-

mitianum nihil tutum fuiſſe accepimus, nihil apud Tiberium ſi lucri ſpes accederet. tãtum detractio poteſt. de qua illud Sapiens Eccli. 28. *Ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit. flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet oſſa. multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam. beatus qui tectus eſt à lingua nequam, qui in iracundiam illius non tranſiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non eſt ligatus: iugum enim illius, iugum ferreum eſt; & vinculum illius, vinculum æreum eſt. mors illius, mors nequiſsima, & vtilis potiùs infernus quàm illa.* Fortiter hîc Chryſoſtomus & verè: *Detrahens fraternas carnes comediſti, proximi carnem momordiſti. vnde & Paulus terruit dicens: Si autem vos inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſummemini.* Non *infixiſti dentes carni, ſed animæ maledictum; improbam ſuſpicionem infixiſti, vulneraſti, innumeris affeciſti malis & te & alios plures.* Et Bernar. *Nunquid non eſt vipera lingua detractoris? ferociſsima planè; nimirum quia letaliter tres inficit flatu vno. nunquid non eſt lancea iſta lingua? profectò & acu-*

tiſſi-

tiſsima, quia tres penetrat ictu vno.

Vitabit ergo detractores Superior, nec fidem, adeoque nec aures admouebit, memor veteris dicti, Neruus atque artus imperij ſunt non temere credere. Credidit Alphonſus Rex Franciſco Sfortiæ, qui commentitijs in fraudem litteris Petrum & Troilum primos regios duces ad rem ſtrenuè peragendam inhortabatur, operamque dederat, vt ad regias manus litteræ venirent, & vtrumque vinculis conſtringi rex iuſſit. ita dum fortiſſimorum ducum operâ rex caret, Sfortiæ feliciter res proceſſerunt, infeliciter regi. ſic nimiæ credulitatis pœnas rex dedit, ſubdolæ delationis præmia Sfortia tulit. Memor deinde ſit Superior temerè huic hominum generi ſi quid conceſſerit, pari obtrectationum libertate inſurrecturos in abſentem Superiorem, quo in alios conſueuerunt. libertas vna aliam parit. aditum præbuit Superior detrahendi alijs, reſerauitque detractoribus aures; inuenient ipſi quod in Superiore deprehendant, & vel ipſam credulitatem damnabunt. neſcit vlli parcere detractor,

non

non adeo patri ac matri. quid? quòd voluptatum illi quoddam genus ſit, obloqui, & maledicere inter beneficia ponat; ac inter ingenij felicitates numeret inuenire quod in alio reprehendat; & inter acumina reperire& enarrare quod nuſquam eſt. ingenioſa nimirum improbitas eſt, trabem in feſtuca, elephantem in Culice, Alpes & Pyrenæos ſaltus in verruca legit, & ſomniata ſibi alterius innectit vertici; ipſaſque alieni pectoris virtutes, tam ſcitè improbis ac adulterinis coloribus peſſimus pictor decolorat, vt vitia arbitreris, bis falſarius, inuentione & narratione. nimirum cùm maledicere officium bonæ conſcientiæ iudicet, loquacem mendacitatem, facundiam; impudentiam, conſtantiam deputat. Vitabit hos omni ſtudio Superior memor Sapientis Prou. 24. *Cum detractoribus ne commiſcearis, repentè conſurget perditio eorum.* Et Prou. 4. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.* Et Eccli. 28. *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire.* Bene Paulinus: *Quòd ſi hæc in nobis eſſet diligentia ne paßim obtrectatoribus crederemus, iam omnes detrahere timerent, ne non tam alios*

quàm

Digitized by Google

quàm ſeipſos viles detrahendo facerent. ſed hoc ideò malum celebre eſt, idcirco in multis ferуet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur. Bene Hieronymus: *Neque verò illa iuſta excuſatio eſt, Referentibus aliis iniuriam facere non poſſum. nemo inuito auditori libenter refert. ſagitta in lapidem nunquam figitur: interdum reſiliens percutit dirigentem. Diſcat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere. Cum detractoribus ait Salomon, non facilè miſcearis, quia repentè veniet perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit? tam videlicet illius qui detrahit, quàm qui aures accommodat detrahenti.* Et alibi: *Sicut ſagitta, ſi mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem: ita detractor, cùm triſtem faciem viderit audientis, imò non audientis, ſed obturantis aures ſuas, ne audiat iudicium ſanguinis, ilico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliua ſiccatur.* Eſt in hanc ſententiam illud Sapientis: *Ventus aquilo diſſipat pluuias, & vultus triſtis linguam detrahentem.* Prudenter Auguſtum Mecænas monet: *Permulti vel odio aliorum, vtpote bona eorum affectantes, vel in gratiam quorundam, vel irati ob poſtulatam, & non acceptam pecuniam, falſo cri-*

mine ſeditionis tentatæ, aut contra Imperatorem alicuius facti, vel dicti improbi eos onerant. Ideóq; non temerè fides eis eſt adhibenda, ſed omnia accuratè examinanda. quòd ſi tardiùs fidem adhibueris, nullo tuo magno fiet damno; feſtinando autem fieri poteſt vt peccatum, aliquod irreparabile admittas.

Inuenies in hoc genere quoſdam qui palàm improbi feruntur in omnes: alios qui concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, per ambages & anfractus nocituram ſeriem euoluunt, tortuoſa circuitione venena iaculantes: alios qui amicitiam profitentes tãquam fella pertenui melle lenientes, eò fortiùs infigunt aculeum, quo ſub amici perſona validiùs in incautos illabuntur. Sunt qui crocodilos imitantes, inter commiſerationum voces & lacrymas barbarè perimunt, eo crudeliùs, quo remotiores à ſanguine lacrymæ eſſe debent. laudant hi in eo cui detractum eunt plurima, claudũt deinde narrationem commiſerationibus veſtitam, tãquam ſcorpij cauda, ore quaſi blandientes, de poſthumo corporis verberantes: qui eo nocentius vulnus & virus figunt & infundunt, quo fallaciùs feriunt.

In

In quibud illud ferè conſiderandum, incurrere plurimùm tales in optimos quoſq;, quorum virtutibus cùm deſperent pariari, ad detrahendum ſtudia vertunt. aſſequi nimirum cùm non poſſint, impedimenta iniiciunt. felicitati inuident? calcatam vellent. dignitatibus aut muneribus excluduntur? viam ſibi per aliorum ruinam ſternunt. gratia alij valent, eloquentia, eruditione, prudentia, magnarumque virtutum opinione? contabeſcunt inuidia. inde mille modos minuendæ famæ excogitant, &, vt fœcunda ſemper in malum æmulatio eſt, inueniunt: ac nunc per ſe, nunc per alios derogatum ac diminutum eunt. vt infelicem meritò dixerim Superiorem, qui detractores nactus, faciles iiſdem aures præbet, in perniciem ſuam credulus. cùm ferè hunc neceſſe ſit deſtitui viris magnis; cùm in hos propè vnos validè inſurgant detractores, nec calumniandi finem faciant, donec aut euerterint, aut in ſuſpicionem apud Superiores vocauerint, ſiue rei malè geſtæ, ſiue æmulæ dignitatis, ſiue inſidiarum, molitionum aut nouorum ſtudiorum, ſiue priuati criminis, ſiue

hoſtilis animi, ſiue denique dictorum factorumq́ue contra Superiorem. ac cùm celſitudo, vt quæ in præcipiti verſatur, facilis in timorem & ſuſpicionem ſit, non opus magna flamma ad arida hæc ligna accendenda. modica ſcintilla ſatis eſt. maximè ſi virum virtute & opinione magnum tangat, à quo facilior metus eſt. contemnimus modica & quæ voluntaria iniuria humum verrunt; inſurgimus ad alta. cùm ferè, vt dixi, altitudinem timor & ſuſpicio, paruitatem neglectus comitetur.

Infeliciores omnino Superiores, qui in credulitatem faciles vltrò occaſionem detractionibus præbent. hinc dictum verè: *Tolle auditores, deerunt detractores.* quin imò tolle præmiatores, non erunt detractores. nemo enim facilè gratuitò malus eſt. pręmia enim depoſcit improbitas, vt ſi illa ſuſtuleris, ſcelera iam nulla ſint. Quare ſi difficilem ſe detractoribus prębeat Superior, carebit illis. quòd ſi falſas delationes non permiſerit impunitas, ingenti peſte familiam leuabit, & ſecuritati ſuæ ſuorumq́ue conſulet, & in altiſſima cum ſuis pace vitam tranſiget.

iget. ſin admiſerit, vniuerſam familiam euertet, mutuam animorum coniunctionem tollet, æmulationes odiaque ſparget, fiduciam minuet, diffidentiam ingenerabit, partium ſtudia prouocabit, animos optimis quibuſque ad magna & ardua adimet, ignauiam fouebit, dolos excitabit, adulationibus oſtia aperiet, mutuis criminationibus viam ſternet, candorem obfuſcabit, politicam agendi rationem inducet, diſſimulationibus ac ſuſpicionibus omnia replebit, in mutuas euerſiones ſuos impellet, mœroribus primos quoſque macerabit & obruet, noxios præmiabit, damnabit innoxios, reluctantes ad imperia ſuos ſentiet, experieturque languentes ac faſtidio plenos, & in omnem pietatem nauſeantibus ex tempeſtate ſimiles.

Et quis tutus erit, imò quis innocens, ſi detractionibus locus ſit? aut quando detractor deerit ſi facilem Superiorem nactus fuerit? aut quæ innocentia calumniatorem effugiet? quæ virtus carebit obtrectatore, cùm æmulatio ac inuidentia hanc ſequantur? quis verò ſecurus erit ſi præmia detra-

ctorem ſequantur? quæ denique tranquillitas ſtare poterit inter barbaros efferarum linguarum flatus, quibus miſerè in detractore Religio iactatur? aut quomodo Deus in ea ſedem figet, cuius eſt: Matt. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*? cum pax nulla ſub pacis mutuæque coniunctionis perturbatore formari poſſit: pace autem exulante, pacis auctorem Deum exulare neceſſum ſit. hinc illud Gregorij eſt: *Audiant iurgiorum ſeminatores quod ſcriptum eſt, Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. atque è diuerſo colligant, quia ſi filij Dei vocantur qui pacem faciunt, procul dubio ſunt Satanæ filij qui confundunt: quia autem nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis, nihil eſt delectabilius diabolo extinctione caritatis.* Et illud Bernardi: *Proditores fiunt, quicunque in hoc Dei caſtrum inimicos eius introducere moliuntur, quales detractores Deo odibiles, qui diſcordias ſeminant, nutriunt ſcandala inter fratres. Sicut enim in pace factus eſt locus Dei, ſic in diſcordia locum fieri diabolo manifeſtum eſt. Non miremini, fratres, ſi duriùs loqui videor, quia veritas neminem palpat. omnino proditorem ſe nouerit, ſi quis fortè, quod abſit, vitia qualibet in hãc domũ conatur inducere,*

&

Digitized by Google

& templum Dei ſpeluncam facere dæmoniorum.

Infeliciſſimi verò ſub tali capite ſubditi ſunt. cùm ferè perpetuis agantur timoribus, incerti in quam partem dicta factaque deferenda, in quam accipienda, cùm virtus vitiumque ex vnius delatoris voluntate verbiſque pendeat. ſortietur nimirum nomen ab hoc Prætore: neque enim iam accuſator tantùm, ſed iudex eſt. vnde fit vt optimus quiſque manum retrahat, labores fugiat, otium ſectetur, quòd minùs in hoc quàm in illis periculi arbitretur. neque enim facilè delator in reptantem inſurgit, celſa petit, & ad celſa properantibus extendit manus, impedimenta obijcit, fulcimenta tollit in ruinam, quo fit vt aut in vltronea ignauia vitam trahant, aut impatientia victi, validè in obtrectatorem ac Superiorem inſurgant, nec finem faciant donec vtrumque loco mouerint, aut eadem ſecum ruina oppreſſerint. ita perire, ſi cum hoſte pereas, iucundum. nam ſi ille cadat, licet per latus tuum, benè eſt. tantum poteſt detractio, vt proritatum animum maximè innocentem ad extrema conſilia vtriſque infauſta propellat.

poteſt ſalua nominis integritate aç ſalute ſe eripere? eripiet per ſua & aduerſarij vulnera, & mortem; tam auidus plerumque famę, innoçens eſt, vt antè vitam quàm illam ponat. non poteſt cum virtute? alia ingredietur via, & antè implexus detractori ſuo cadet, quàm victorem ferat. quòd ſi Chriſtiano pectore calumniam tulerit, inualetudine plurimùm ac longa tabe illum ſignat.

Infeliciſſima denique etiam familia talis eſt, quę cùm ſummis quibuſque viris ac propugnatoribus ſpoliatam ſe videt, tum ignauiſſimum quemque imperantem ſentit; cumque per ſuorum inualetudinem, infortunatam ignauamque vitam trahat, tum per vulnera & lacerationes meliorem animam emittit, generoſiſſima ſui parte fruſtrata; peſſima verò parte ſui viuit, ſi hoc viuere eſt vita morte deteriore viuere. & quæ vita eſſe poteſt tot crudelibus vndique vulneribus, nobiliſſimis quibuſque membris conciſis? quæ firmitas, quódue robur inter mutuas barbaraſque linguarum oppugnationes primis quibuſcunque neruis ad viuum exſectis? vt longè miſerrimam neceſſum ſit eſſe fa-

familiam, quæ ſub facili creduloque ad ſuſpicionem detractionemque prono capite, calumnijs proſciſſa fatiſcit. non eſt hæc Religio, ſed portentum, religioſo nomine indigniſſimum, commiſeratione digniſſimum.

Verùm quid faciet qui innoxius nocentes has patitur linguas? ſolabitur ſe cum magno Iobo: Iob.16. *Ecce in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* in quæ verba Gregorius Epiſt. ad Pall. lib. 8. *Qui teſtem in cælo habet, reprehenſiones hominum metuere non debet.* ſolabitur cum Apoſtolo 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* humana proinde iudicia humanis maior contemnet. nihil hæc æternis ad quæ nati, addent, nihil adiment. dignitate fòrs ſpoliabunt, aut eludet vota. quid hoc Chriſtiano? meliórne erit qui opibus, qui honoribus clarior? audi Poëtam:

Licet ſuperbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus,

non corpus, formam, vires; minùs animum. quid ergo timebit? magnorum indignationem aut iram,

Quæ procudit enſes,
Et miſeras inimicat vrbes?

ridebit etiam. & linguis ferroq́; maior, dicet cum Poëta:

Dedecorant benè nata culpa.

Et ſolæ dedecorant culpæ tolle has, decus & triumphos ſperare à calumniantium linguis diſces. & quid refert cuius ope cælo creſcas? creuiſſe ſatis eſt. lingua te, febris, aut tortor gladius inſcribat cælo. quid intereſt? fruere beneficio. & vt æger duras medici manus, inualetudine pulſa præmio donat: ita tu has linguas calamoſque cælorum administros, ſine quibus ſecundæ res obliuionem fors Dei dediſſent. factum non ſemel. & plures proſpera quàm aduerſa cælis excluſerunt, pœnis adiudicarunt. prudens æterna delige, æternis natus.

CAPVT XXII.

Adulationibus oſtia firmanda.

Dictum fortiter, ſed verè: Curt. li. 8. *Regum opes ſæpius aſſentatio quã hoſtis euertit.*

ca-

Digitized by Google

eadem ferè habes apud Auguſtinũ in Pſ. 9. *Duo ſunt genera perſequentium, vituperantium & laudantium: ſed plùs perſequitur lingua adulatoris quàm manus perſequentis.* hinc illud monentis Paulini ad Celantiam: *Adulatorum aſſentationes velut quaſdam peſtes animæ fuge. nihil eſt quod tam facilè corrumpit mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animam feriat.* Paria habes apud Ciceronem pro Cęlio: *Sic habendum, nullam peſtem eſſe maiorem quàm adulationem, blanditias, aſſentationem.* vt non vereatur decurrere in hęc verba Sapiens Pr. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis quàm fraudulenta oſcula blandientis.* illa in ſalutem, hæc in interitum eunt. illa medicamenta ſecum trahunt, hæc venena. illa feriunt & vngunt, & plus valetudinis bonę quàm vulneris promittũt; hæc ſub molli ſpongia toxica iaculantur, & dum leniunt, interimunt, eo ſæuiùs quo ſub amici perſona incautum opprimunt, ſponſionibus diuites, inaniſſimi rebus, niſi quòd tacita hoſtilitate locupletes, in omnem nocendi occaſionem intenti,

Aſtutam tacitę ſeruant ſub pectore vulpem;

magis etiam ſub vulpe lupum & pardum. quo magis inuigilandum Superiori ſeriò; ne qua parte oſtia adulationibus aperiat. ſi aperit, petit. inimicum enim in adulatore domo excipit, & inimico nocentiorem. cùm mitior apertus hoſtis ſit occulto inſidiatore. arma enim armis repellere procliue eſt. dolos quæ virtus anteuertet? quis nouaculam vitabit ſpongia tectam? quis venena domeſtica manu porrecta? quis denſa nocte ſcorpium calcaneo inſidiantem? hoſtis verò omnis adulator eſt, ſub ouina pelle, lupus; ſub mellis fauo, fella propinans. exporrecta blanditur fronte, oculiſque ſuaue ludentibus, verbiſque ſaccaro plenis ludit amicum. Iam quis arbitretur lupum oue tectum? quis ſaccareum calamum colocynthide ſaturum? quis fauo fella contineri? non magis quàm in generoſo pulſu, optimo ſanguine & colore, inualetudinem claudi. & quis credat damnanda laudibus, laudeſque damnandis contineri? reperies hoc in omni adulatore. damnas? damnat. laudas? laudat. proba an improba ſint iuxtà habet, ſatis illi damnaſſe, laudaſſe, quæ damnas, quæ laudas. ex vero

an

an ſecùs, poſtrema illi cura. prima placuiſſe eſt. vt verum ſit illud Taciti de adulatoribus: *Quibus omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt.* & quiſquam adulatorem amicum putet? non eſt. ſi eſſet, mentiri neſciret, nec aliud verbis proderet, aliud mẽte volueret, nec palàm probaret ore, quòd tacitus damnaret corde. ſed neque in alterius gratiam laudaret damnanda, damnaret laudanda. quod omnis adulatoris vnicum ſeriumq́ue ſtudium eſt.

Iam cùm hoſtilia ferè tegat animo, amica denunciet verbis, odia mente fouet, quæ verborum dulcedine velat. hoſtem verò pectore circumferre ex eo diſces, quòd omnis ferè adulator aliud labris, aliud animo claudat, ac pugnantia etiam mutuoq́ue plurimùm ſe perimentia, cùm ergo verbis amicum præferat, animo neceſſum inimicum nutriat. Clarè hoc videbis ſi fortuna mutauerit vultum, mutabit & verba adulator: deſinet enim velle placere, qui non virum, ſed fortunam coluit, non hominem, ſed purpuram veneratus. amauit dignitatem, nec vltrà: & ſibi illam amauit, non alteri; non amaturus

rus niſi commodam ſibi arbitratus. ſibi ergo ſtuduit, placitura dixit ſibi, laudauit, damnauit ſibi. quare vt primùm vertit fortuna frontem, vertit & ipſe dictionem. & è magno laudatore, magnus exurrexit contemptor; tanto maior hoſtis, quanto maior antè laudator. nec minor tamen priùs erat hoſtis, ſed latebat, & inimicum pectus amica tegebat veſte, quam fortunæ ſacrauerat. elapſa fortuna eſt, exuit adulator veſtem, ſimulque in latentem hoſtilem animum reclusit. Facit hoc adulator omnis. non faceret ſi hominem amaret: virtuti enim huius augendæ ſtuderet, & illaudanda damnaret, ne ſi laudaret creſcerent damnanda. nam dum laudem mereri putat quæ laudantur, laudatoris deluſus ore, in damnanda eo fortiùs prolabitur, quo fortiùs laudantur.

Fugiet ergo adulatorem omnem Superior, vt iuratum nominis ſui hoſtem: & hoſtili more conſilia illius laudeſque tanget, timidè nimirum & cautè. non fidit hoſti? non fidet adulatori. ſuſpecta inimica conſilia habet? habebit adulatoris. hoſtiles molitiones omnes quocunque amico velamine

te-

tectas auerſatur? auerſabitur adulatoris, quacunque amica purpura & odore madidas? inimici laudes ad contemptum refert? referet adulatoris. armatus hoſtibus occurrit? nunquam nudum adulatori latus præbebit. quidquid ab inimica manu venit, inimicum arbitratur, nec ea aliter quàm venena & nudum iugulo ferrum admittit? faciet idem in adulatore, & quidquid ab huius ore & manu quocunque coronatum flore propinatur, tanquam ab inimica dextera prudens ac prouidus tanget. quin & alia omnia quàm quæ ab adulatore denunciantur, cogitabit. laudat? damnanda ſciet. damnat? laudanda ſibi perſuadebit. conſulit? vitabit vt mala. diſſuadet? ſequetur vt bona.

Conſultiſſimum tamen erit, ſi omnem à ſe adulatorem repellat, admittat neminem quocunque virtutum colore tinctum. mentitur: intus venena latent; natatq; intus ſcelere & odio, in cuius labris virtus & amor natant. auerſabitur proinde adulatorē, vt omnis boni conſilij peſtem, optimorum conatuum præſens toxicum, ſolidarum virtutum barbaram ſecurim, felicis imperij falcem,

om-

omniſque prudentis gubernationis fallacem nouaculam, memor illius, *Quiſquis adulatorem domo recipit, ſerpentem ſinu fouet.* torpet? explicabit venena vbi incaluerit, & diffundet in fotricem manum virus; eo nocentius quo in incautam. quid? quòd nulla beneficia adulatorem vincant; non magis quàm ſerpentem, ſemper hic ſerpens eſt. moribundum recrea, frigore & ſiti enectum refoue & pota, vulneribus medere. vbi deperditas vires receperit, ſerpens erit, venena vomet. facit idem adulator. benefactis onera, indulge, menſa tua paſce, propiùs etiam vberibus lacta. quanto plus foueris, plus inſurget. ne mirere. intus hoſtis eſt. qui oportunitatem nactus hoſtilia dabit. & cùm coràm amicum mentitur, inimicum abſens loquitur. probat præſens, damnat abſens, magnumque quem in os tuliſti laudatorem, ſæuum vbi retuleris pedem, patieris iudicem; quemque præſentem fortem ſenſeras propugnatorem, abſentem validum feres oppugnatorem. applaudit nimirum coràm, ſæuit abſens. blandè delinit præſentem, abſentem præualido ariete ac molaribus occu-

cupat. & qui coràm mella & flores oſtentabat, venena & ignes abſens iaculatur; tanquam ſi quis præſentem extremis demulceat digitis, abſentem fulmine perimat, aut integris montibus inſepeliat.

Nec in vnum contentus ſæuijſſe, ſæuit in omnes adulator, cùm vniuerſam ſedibus ſuis moueat familiam. nam & apud Superiorem detractum it ſocijs, maximè ſi ſuboffenſum è quacunque cauſſa illum ſenſerit; & Superiorem apud ſocios damnat, idque potiſſimùm cùm exacerbationis aliquid inaudierit. quin ſi quem viderit commotiorem, vbi ſe in illius familiaritatem inſinuauerit, exaſperat animum, ſiniſtraque Superioris iudicia dum recenſet, & acrioribus etiam exacuit, auget alienationes, ac tãquam doloſis ſuppoſitis ignibus accẽdit flammas. decurrit inde ad Superiorem denunciaturus quæ audiuit, quorum ipſe ferè auctor & incentor primus, dictaque acerbiora ſua, aliorum adnectit ori, quo fortiùs Superioris animum exulceret. inde mutuas fouet diſſenſiones, & ementitis etiam vltro citroque narrationibus accendit, nouamque vtrim-

que

que alienationum materiam indefeſſus ſuggerit. & dum partis vtriuſque gratiam venatur, ac complacentia grataque offenſis animis enarrat, mutuas odiorum incendit flammas. Nec magni ea res moliminis. atentia enim accendas ligna pertenui ſcintilla iniecta. ac licet nulla diſſenſionum veſtigia reperiat, vltro illarum ſemina ſpargit, & falſis plurimùm delationibus altiùs illa pectoribus inſerit quàm multorum annorum labor euellat.

Neque malum hoc domeſtico tecto clauditur, erumpit. flammam arbitreris vicina lambentem, obuiaq; quæque latè populantem: ita vicinas remotaſque ædes perambulat adulatio, viruſque ſuũ ad externa diffundit. vt ſi domi commodas detractionib. aures non repererit, foris quęrat, & inueniat. ita auidi omnes malorum ſumus, ad laudes tardi, ad reprehenſiones celeres. hinc in os laudata, improbamus apud externos, nec rarò apud mulierculam, cui dixiſſe, tympanis & tubis commiſiſſe eſt: vt ſeria prece rogandus Deus ſit, ne aut aures Superior adulatori præbeat, familiarem ſibi reddat, conſilijs illius

illius obaudiat, nocitura committat, nomẽ ſuum ſuorumq́ue illi credat, aut, quod optandum magis, ne talem ſortiatur. Quòd ſi quem pronum in adulationem viderit, non in flore & herba, ſed in radice ac ſemine euellat. vt cùm omnes in Superiore obfirmatas contra adulationes aures viderint, adeóque & hoſtem adulationibus eſſe, nemo proſiliat ad hęc blandimẽta, ad has aurium compedes. virum enim cùm ſenſerint Superiorem, & magni veri cultorem; non facilè muliebria hæc tendent retia. Quòd ſi quem deprehenſum generosè repulerit, familiaritateq́ue ac dignioribus muneribus excluſerit, non facilè quiſquam adulatoris perſonam aſſumet. terrebit audentes pœna, & in vnum ſæuiſſe, in omnes erit. ita dum in vno damnantur omnes, nemo ad punienda venit. delicta ſi præmiaueris, quis à ſcelere abſtinebit? & crimina ſi impunita tranſis, quis ſecuras noctes patietur, quis innocuos dies? iam, vt vnius præmia inuitant, ita vnius pœna terret à ſequela. & non facta tantùm, ſed & cogitationem ſeponimus, ſi feciſſe, pœnam tuliſſe eſt.

CA-

CAPVT XXIII.

Superbia fugienda.

AVdi Eccleſiaſticum cap. 10. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, deceſſit cor eius. quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem. ſedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. radices gentium ſuperbarum arefecit Deus, & plantauit humiles. memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu.* Quid potuit fortius ſiue in contemptum, ſiue in fugam? è quo natum, vt viri magni dignitates fœcundam ſuperbiæ materiam fugerent, Ambroſius, Auguſtinus, Malachias, Bernardus, Aquinas epiſcopatum; ſacerdotium Chryſoſtomus; diaconatum Martinus; papatum Gregorius; ac primi ferè in Eccleſia exhorruerunt ad purpuræ nomen. meminerant verborum Sapientis Prou. 25. *Domum ſuperborum demolietur Dominus*, Et Iac. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus*

bus autem dat gratiam. Et apud eundem: *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.* Sciebant verò ſuperbiam ferè purpuræ comitem raramque coniugationem dignitatum & cæli eſſe. quare cùm cælum cogitarent, dignitates cæli plurimùm inimicas, auerſabantur. nam ſi opes & beatitudinem non capiat vnum cælum, cùm dicat ipſa veritas Matth. 19. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*: quomodo capiet honores & gaudia? cùm difficilius ſit modum in honoribus, quàm in opibus tenere? minor nimirum opum quàm honorum ſuperbia eſt. maiorq́; arrogantiæ & dignitatum, quàm arrogantiæ & auri miſtura. obliuionem Dei inducit aurum; contemptum ſuperbia. neſcit cælum auarus; ignorat Deum ſuperbus, cùm Scriptura teſte, Prou. 16. *apoſtatare* ſuperbia faciat hominem *à Deo,* hinc *abominatio Domini eſt omnis arrogans.*

Declinabit proinde à ſuperbiæ ſemitis omnis Superior, & non prouocabit in ſe manum Domini, Prou. 8. *arrogantem & ſuperbum* deteſtantis. ſed nec manum hominũ, cùm

Digitized by Google

cùm non tantùm Eccli. 10. *odibilis coram Deo, ſed & hominibus ſuperbia* ſit: neque enim quidquam magis exacerbat animos & accendit in Superiorem, ac obliuiſci facit venerationis, adeoque exaſperat, vt ad vltima etiam deſperationum conſilia adducat. tam altè etiam viliſſimorum animis inſidet opinio ſui, vt contemptum omni iniuria grauiorem arbitrentur. iam cùm faſtus contemptum ſecum trahat, fit vt nihil illo grauius ingenuis accidat. quibus ſi mortem mineris & contemptum, inuolabunt in illam, vt hunc excutiant. propone tormenta, cæſtus, flagella, calices, ferrum, vngues; adſit decus, hæc diligent. hinc multi in alta gentilitate, cùm propoſitam ſibi gloriam amplecti non poſſent, niſi per præcipitia, ferrum, ſecures, flammas, tormenta; dextram ignibus, iugulum ferro, collum ſecuribus, membra tormentis, totum denique corpus præcipitio defruſtandũ dederunt; & amarunt hæc etiam per quæ victuræ hiſtoriæ portio fierent. tantum laudis pruritus & conceptum animo decus poſſunt. Videmus hoc fomite æſtuãtes magnos viros ſola gloria minores, cùm cõtẽptu nihil

hil deterius euenire nobis poſſe arbitremur.

Scio aliam gentilitiam, aliam Chriſtianam, aliámque longè rationem Religioſam eſſe. ineſt tamen, viuitque etiam in optimis viris aliquis glorię aculeus; qui perrarò ita in plenum emoritur, vt nulla ſuperſint ſemina, quæ fota in herbam & fruticem non exurgant. ac licet fòrs reperias qui laudem omnem auerſentur, nec eam ſine aurium vulnere audiant; perpauci tamen etiam ex his gloriæ ac dignitatum calcatoribus, contemptũ ſine ſenſu ferent. ita cùm gloriam non amamus, dignitates etiam fugimus, contemptũ tamen auerſamur. vt mitius longè ſit impedimenta dignitati conſequendæ iniecisse, quàm verbo contempſiſſe. Fateor verò Religioſi eſſe contemptum ſpernere, adeoque & de contumelia ſibi Apoſtolis & Chriſto ducibus gratulari, ac vt non ignobilem gloriæ ſuæ partem amare, amplecti, capitique corollam innectere, cum præmia hinc ſperet cælo reponenda, felicique æternitati varianda. verum rara coniunctio contemptus & gaudij, etiã in religioſiſſimis viris. vt infrequens mixtura riſus & lacrymarum,

do-

dolorum & gaudij, mœroris & tripudij eſt. quo magis inuigilandum Superiori ne quã contemptus cauſſam præbeat, ne quam arrogantiæ ſuſpicionem. nam, vt ſumma omnia habeat, eruditionem, eloquentiam, ingenium, prudentiam, munificentiam, formam imperio dignam, ſi res tantas arrogantia tanquam ſale condiat, arbitreris ſtillicidia mellis de libacunculo venenato porrigi; vt omnis venuſtas, opinio, amor priorum pereat, vna ſuperbia tãquam toxico in mortem temperato. deſipiunt proinde magna illa omnia, tanto deſpicatiora quanto maiora; totamque quam de raritate in vno vertice gratiam poſſident, vna arrogantia amittunt. nec illa tanquam fella ſaporatis & dulcibus, ſed tanquam elleboro condita intuentur. ita ipſæ etiam virtutes in vitia degenerant, ſi faſtum miſcueris. Largire regibus digna dona, ſi ab arroganti dextera veniant, pro ſcorpio accipiet. conſilijs iuua, ſi à turgida mente profluunt, fatua arbitrabitur. vincas primos oratores, ſi interludat faſtus, inueniet quod reprehendat, vt omnia omnino corruant hoc adminiſtro. morbis medicamenta, vul-

Digitized by Google

vulneribus admoueas manum, ſi verò ſuperbiam ſonent, antè in interitum quàm in ſalutem ibunt. quid? quòd ea ferè ingenuorum cōditio ſit, vt gratiora ſint ab amica & paterna manu verbera, quàm à faſtuoſa munera. nec vllum ferè vitium durius in imperio eſt, & in quod concordibus magis animis inſurgant inferiores: barbarum enim aliquid ſapit, & mancipia non filios redolet. quæ res grauiſſima ingenuis, magis etiam Religioſis, qui ſolo Chriſti ſui cæleſtiumque amore ſe Superiori, vt filios parenti, nō vt ſeruos domino ſubdiderunt. ignorant tranſtra & remos, piſtrinum & lora; Deum cui vni ſe ſacrarunt in Superiore, in parente hoc optimum parentem illum agnoſcunt, nec alium. patria proinde imperia ſciunt, & illa ſola. quibus ſi quis admoueat ferrum & ignes, roſas arbitrabuntur & oſculabuntur à paterna manu, à qua ferè faſtus exulat: perrarò enim paternus animus arrogantiæ comes eſt. blandus enim ille & ſuauis, dura hæc barbara eſt. non miſcentur effera dulcibus, niſi in interitum. Pater ergo ſi Superior eſt, ſuperbiam ponet, clementiam, huma-

nitatem, benignitatem induet, arrogantiæ inimica. quæ, ſi amari Superior vult, ſi coli, ſi vt pater haberi, ſi imperium firmari, ſi imperata ſedulò exequi, ſi vltro ad ardua manũ extendi, ſi ſuorum amicum ſudorem fluere, ſi vitam etiam ſanguinemq́ue pedibus inſterni, fugiat, omnemq́ue faſtum exuat, patris affectum induat, magis etiam benignæ matris vbera, & omnia conſecutus fuerit.

Quòd ſi quis duos ſibi Superiores ob oculos ponat, alterum benignum patrem, alterum arrogantem dominum; nullo negotio familiæ vtriuſque diſcrimina videbit. filios ille habebit, ſeruos hîc patietur. ille etiam abſens obſequentes, hic nec præſens ſentiet. illa in alta pace vt in amico patris ſinu quieſcit, hæc perpetuis tempeſtatibus iactatur. illa amore; hæc metu ſtabit. tanto proinde ille ſecurior certiorq́ue, quanto amoris imperia firmiora timoris ſunt; infirmum parendi aut amandi vinculum metus; firmũ amor eſt. ille minis & verbere, hic voluntate obſequitur. vt dictum verè ſit, Vis ſtare imperia? amentur. vis amari? ama. vis ſterni imperia? metum admoue. nulla æ-

tatem

tatem ferunt ſæuiente metu. at faſtus omnis metum pro freno tenet, & arrogantiæ gubernacula timoribus natant. neſcit æternitatem metus, neſcit amor interitum. neſcit amorem faſtus, timoribus turget. Fugiet proinde Superior imperia timoribus nata, ſi arrogantiam omnem repreſſerit, quæ ferè mater timorum eſt. amplectetur imperia amoribus nata, ſi pulſo domini faſtu, patris vbique animum induerit.

Illud etiam hîc conſiderandum, arrogantis familiam oblocutionibus, detractionibus, adulationibus, æmulationibus, adeoque & odijs repleri. cùm inuiſus Superior inferioribus amplam è faſtu oblocutionum materiam præbeat, amplam detractionum. etiam virtutes vitiorum nomen ſortiuntur. tantum poſſunt odia. cùm contrà vitia virtutum propè nomen ſubeant ſi ameris. Iam cùm ſuperbus laudes ambiat, plena adulationibus domus eſt. neque enim deſunt vnquam qui commodis ſuis cùm ſtudeāt. & alia negata via eſt, adulationibus ad deſiderata repant. ſeponunt virtute cui ſub arrogāti capite perpetuū exiliū eſt: vitiū

deligunt, cuius ſemitis ad optata veniunt. Superioris proinde ingenium pronum ad ſuperbiam cùm viderint, addunt etiam calcaria currenti, & ſub generoſi nomine arrogantiam fouēt, ſub magnanimo ſuperbum; & nunquam adulationi virtutis nomen deeſt: quod etiam in vltima barbarie & tyrannide reperiet. nihil illi promptius quàm virtutum pallio ſcelera integere, tanquā ſi Paridem Achillis armis induas, Alexandrum Medica veſte, & captiua ſarabara diſculptum lorica pectus veſtias.

Sed neque ſuperbia domeſticis parietibus clauditur: neſcit his vinculis arctari, erumpit, & longè lateq; viciniam complet. loquendum? infarcit aliquid de ſuo, ac in omni propè colloquio aliquid ex arrogantiæ area pulueris interſpargit. etiam fronte, oculis, manibus, adeoq; & pedibus faſtum loquitur. quæ res omnium animos, ſummorum iuxtà ac infimorū penitus auertit. Nec in vno auerſio hæc Superiore ſtat. tranſit ád domeſticos, à capite nimirum ad membra: cùm ferè illius vitia membris affigantur; quo fit vt audire iam malè incipiant omnes.

De-

Denique non facilè quiſquam ſuperbiæ ſua committet, non deteget vulnera. non morbos, non credat quæ vulgata ruborem incutiant. comitatur enim metus ſuperbiam, ne vbi intumuerit oblita ſui, ſpargat quæ recondidit. nam cùm in ſuperbiæ agro ferè ſponte ſua, ſolique natura, odia excreſcant, odia verò ſecretum ignorent; fit vt horum metu ingens in ſuperbos diffidentia naſcatur, quæ res ingentium malorum parens eſt. ſublata enim ſemel ex imperio fiducia, reliqua nullo impellente corruunt.

Nulla etiam diu pax ſtare poteſt ſub ſuperbo vertice: cùm rixæ & contentiones indiuiduæ arrogantiæ comites ſint. non coaleſcunt ſuperbia & tranquillitas. hæc contēta ſorte ſua eſt, illa nunquam: hæc in concreditis ſibi altum quieſcit, illa maiora ſemper ex conceſſis appetere diſcit. Nec diſiunguntur ſuperbia & iactatio. ita in perpetuo motu tanquam fluctuum colliſione ſuperbus eſt. nunquam rebus modum ponit, nunquam deſideriis. nulla illum dignitas ſatiat. orbem ipſum imperio illius ſubde, nouos quæret; ac ſi hoſtes terra negauerit,

cælo quæret quem oppugnet. nec finem ſtatuet , donec ingenti ruina ſe nomenque ſtrauerit. Iam quid ſperari in domo poteſt quæ perpetuo æſtu & fluctibus iactatur? in qua à Superiore faſtuoſo arrogantiæ ramos & flores quos intexant fronti, inferiores decerpunt, moreſque illius imitati. cùm prima quæque ambiant, mutui fiunt euerſores, calumniatores , mutuarumque dignitatum ſubdoli ſubſtructores. hinc vniuerſa domus ſcinditur, hoſtibus fabula, & aduocantur in conſilium externi , etiam in auxilium: vt non domeſtica tantùm manu, ſed & externa cadamus. ita mutuum amorem Deumque ſuperbia ſeponit, & oblita ſui & ſanguinis, in fraterno ludit iugulo & dignitate, antè mortem quàm Superiorem paſſura, quin & antè ſalutem prodactura, quàm victorem ferat.

Quanto verò ab omni æuo molimine in ſuperbos inſurrexerit Deus, docemur in Lucifero, Chore, Dathan, Abiron, Sennacherib, Saule, Nabuchodonoſore, Baltazaro, Holoferne, Antiocho, Herode, Caligula, Domitiano, Maximiano, Iuliano. hinc illa

Digitized by Google

la Domini apud prophetam verba: Iſaiæ.2. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem: & humiliabitur.* Fortiter Baſilius: Admonit. ad filiam ſpirit. *Vir humilis Deo eſt ſimilior; ſuperbus autem, cùm ſit Deo odibilis, diabolo ſimilis eſt.* nec minùs Bernardus: In pſal.90. *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.* Verè Ambroſius: In Luc l.4.c.2. *Sæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio crimino ſos:* & Chryſoſtomus: Ad pop. Antiochen. hom.45. *Elatus ſemper in doloribus viuit, ſemper indignatur, ſemper mœret: nihil eſt quod eius poßit explere libidinẽ ſicut enim auari quanto plus acceperint, tanto pluribus egent: ſic ſuperbi quanto maiore funguntur honore, tanto plus concupiſcunt.* Eleganter Seneca: *Tumida res eſt ſuperbia, vana, ventoſa. nullũ habet terminum. tã ſollicita eſt ne quẽ ante ſe videat, quàm ne alium poſt ſe. laborat inuidia, & quidẽ duplici: inuidetur ei, & inuidet ipſe. vides quã*

hic miſer ſit. non ire ille vult, ſed non poteſt ſtare, non aliter quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis eſt iacuiſſe. Quid Cæſarem in ſua fata pariter ac publica immiſit? gloria & ambitio, & nullus ſupra ceteros eminendi modus. vnum ante ſe ferre non poterat, cũ reſpublica duos ſupra ſe ferret. Miſera ambitio, magis quia tot funeſtis caſibus, adeoq́ue omnium libidini obnoxia, omnium voluntatum famula, fortunæ luſus, cùm ferè quanto plus adeptus fueris, tanto plus periculi immineat. verum illud Curt. lib. 7 *magnas arbores diu creſcere, vna hora exſtirpari.* ita magnis conatib. quæ paraſti, momentum rapit. ferro, ignibus, ſanguine, etiam cognato, parata regna, hora vna abſtulit. nihil tam excelſum, tam firmum, cui periculum non ſit à vili & inualido. quid æterna ſperas? nulla hic diuturna poſſeſſio eſt. armis, eruditione, ſolertia, fraudibus, etiam virtute paratus honos ferè antè corruit quàm in plenum fruaris. Quid ſudorem ſudore cumulas? fugitiua adeoq; & valatica omnis dignitas eſt, non tenetur corpore, ac ne penna quidem, ſed neque inuita teneri poteſt, non magis quàm rapidiſſima flumina.

mina. Quid cogitationes in ſceptra & purpuram iacularis? neſcis mortalium cuncta incerta eſſe, quantoq́ue plus adeptus fueris, tanto te magis in lubrico ac fragili verſari? & vt votis reſponderit euentus, ac in poſſeſſionem te fortuna ſperatorum immiſerit, quanta hæc erunt? fòrs cras, fòrs hodie, fòrs hac hora poſteritati fabula iacebis. non in diademate luſit carnifex, & maduit purpura ſanguine? non calcata iacuerunt ſceptra plebeio pede? quoties defuit quod traheret vncus, quod lamberet ignis, & in quo ſæuiret tortor? Quid certiora tibi ſpondes? non quod plurimis, euenire tibi poteſt? vis ab infelici exitu ſuperborum eximi? paruo contentus viue. tutò calcantur plana, pericula in edito ſunt. nulla præcipitia in vallibus timenda, in excelſo ſunt. Docent nos hoc funeſta primorum orbe toto exempla. de Pompeij capite pupillus & ſpado tulêre ſententiam, de Craſſo inſolens Parthus. cadit ſuorum gladiis Cæſar, Nero, Claudius, Heliogabalus, Galba, Piſo, Caligula, Vitellius: ferro ſuo Cato. Brutus, Antonius, Otto. & ab Auguſto in Cōſtantinum quadragin-
 ta

ta minimum Imperatores morte non ſua cadunt. Et non ſub Iuſtiniano Beliſarius, ſub Seuero Plautianus, ſub Arcadio Eutropius, Cabrera ſub Petro Aragonico, Seneca ſub Nerone, Stilico ſub Honorio, Flauius ſub Theodoſio nimis magna fortunæ documenta dederunt? Iam Valerianum qui cogitat & Baiazethem, qui venenum in Alexandro, Hannibale, Germanico, Cleopatra, qui è noſtris Chilpericum, Henricos, Richardum Angliæ, Chriſtiernum Daniæ, Mariam Scotiæ; non humanas cogitationes, in ipſo ortu cadentes, ac tanquam inter labra morientia verba, ridebit? non diuites has fallaceſque ſponſiones vmbræ fumoque ſimiles contênet? & vera dicet illa Boëtij, *Plena eſt exemplorũ vetuſtas, plena etiã præſens ætas, qui reges felicitatem calamitate mutarunt?*

Fuge proinde ambitioſas has magnorum cogitationes ſi exitum paueſcis. præcipitia, vncus, tortor, canes, ferrum, venena, flammę, ſuperbiæ comites te terreant. Magis verò omnis in Religione fugienda arrogantia eſt. humilitatis illa ſchola eſt. mentitur quiſquis in faſtu Religioſum ſe profitetur.

tur. non poſſunt ſimul ſtabulare ſuperbia & humilitas, nec vnum pectus vtrumque capit: ſed nec vnum cælum. iam non Religio prælusio quædam cæli eſt, & anteambula illius porticus? non agnoſcunt hæc atria ſuos, quos excludit cælum. excludentis Dei verba ſunt Mat. 18. *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum.* magnitudinẽ humilitate metitur, vt cæleſtis iam magnitudinis menſura humilitas ſit. ſuperbia ergo eſſe non poteſt: & ſi gaudiorum illa eſt, pœnarum hæc erit. Et ſanè neſcio an dementia maior reperiri poſſit Religioſo arrogante? monſtrum veriùs quàm Religioſus eſt, quicunque in Religioſo, hoc eſt humilitatis habitu, ſuperbiã amat & tegit: ſub ouina nimirum pelle lupum, ſub columbæ pennis coruum. nam quid in religione ſuperbus quærit? Chriſtũ? verba illius ſũt: Mat. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde?* animi tranquillitatem? addit, *Et inuenietis requiem animabus veſtris.* vt ſcias pacẽ ab humilitate eſſe; iactationẽ, colliſionẽ ac tempeſtatẽ à ſuperbia. nã Pr. 13. *in-*

ter ſuperbos ſemper ſunt iurgia. fluctus nimirum perpetui, & decumanis maiores. quęrit Deũ? at ille, 1. Pe. 5. Iac. 4. *ſuperbis reſiſtit, humilib. autem dat gratiam.* quærit ab eo extolli. Luc. 4. *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.* conſilium eſt Apoſtoli. &, Luc. 14. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* primatum quærit? audiat Dominum; Marci 10. *Quicunque voluerit fieri maior, erit veſter miniſter: & quicunque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſeruus. nam & filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret.* Et alibi. Luc. 9. *Qui minor inter vos omnes, hic maior eſt.* Superbiam proinde omnis deteſtabitur quiſquis imitator Chriſti ſui erit; & famulatum illius exemplo deliget, quiſquis dominatum in cælo ſperat; nec ſuperbiam tantùm, ſed & ſuperborum conſuetudinem vitabit. nam & Eccli. 13. *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, ita qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiam.* in fuga ergo ſalus. ac ne eiuſdem ſceleris reus fiat, familiaritatem excutiat, ne etiam ignarus venena bibat; quæ nullo poſtmodum conatu excutiat. & ſola hîc etiam ſuſpicio no-

Digitized by Google

xia eſt. & vt pericula de propinquitate deſint, verum tamen illud olim & ſemper: *Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi eſt ſapientia.* Vt vel hoc ſolo nomine fugienda Superiori ſuperbia, amplectenda humilitas, cùm illi contumelia, huic adnexa ſapientia ſit: qua ſtante fortunata ſtant imperia, cadente cadunt. Claudo hoc caput Tragœdi nimiùm veris in ſuperbum minis:

Dominare tumidus, ſpiritus altos gere,
Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

CAPVT XXIV.

Ira moderanda.

Pro. 15. VIr enim *iracundus prouocat rixas, & qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.* Et alibi Eccli. 27. *Ira & furor, vtraque execrabilia ſunt*, vt grande in primis imperijs malum ira ſit: quæ vbi totum hominem occupauerit, ad æternùm non raro pœnitenda præcipitat, ſolumque remedium vna pœnitudine clauditur, omni propè emendationis ſpe erepta.

repta. Hinc tot Superiores effreni quadam iracundia è ſummo faſtigio ad ignobilem deducti cinerem, infelicia irarum exempla poſteritati dederunt. quot ſtarent regna, ſi victor ſui ſtetiſſet in regibus animus? exurrexit in ignes, & ſecuta flamma regnorum vaſtatrix. inde iã vilis puluis, è quo toties illud decantatum: *Nunc campus vbi Troia fuit.* eſſet Troia, ſi ſtetiſſet indignatio. laxata huic frena, & Troia fuit. eadem de primis orbis quà patent imperijs dici poſſunt. Iam quantorum regum auguſtę ſtarent domus, ſi repreſſus ſui domitor ſtetiſſet animus? indignationi campi dati, & addita non infrequenter ab adulatoribus, aut nouorum cupidis, calcaria; & nec nomina nũc nota, aut ſi nota nomina, fatuę iracundiæ exempla in infelici purpura iacent, ſolis ſecuturis profutura. Iam quanta regnis omnibus nobilitas viueret, ſi clementia ſtrinxiſſet habenas? laxauit ira, & viduata nobilitate & robore, tãquam exciſis vndique neruis languent, mœrentque hoſtibus præda, & imbellis ſæpè vicini populi premuntur iugo. & quantæ nunc exurgerãt priuatorum ædes, inuidiam Princi-
pi-

pibus facturæ? quot felici fœcundaque in ſpem magnam ſobole exultarent matres? vna & illas & has ſtrauit indignatio. & præter lacrymas & dura noctibus ſuſpiria tenebris amica nihil ſupereſt. quot vrbes momento prouocata indignatio æquauit ſolo? & nomen iam nullum. quot regnorum & orbis propugnacula indignationis ſcintilla vnica ad humilem deduxit arenam? quantos toga ſagoque magnos modica indignatio hoſtibus ludibrium dedit? quanti religione non poſtremi pluſculùm iræ indulgentes fabula facti vulgi? Nec iram tantùm, ſed quemcunque in iram pronum fugiendum eſſe monet Sapiens: *Noli eſſe amicus homini iracundo*, ne nimirum in damna ſua te trahat: vt ſocius factus vitiorum, ſocius fias periculorum.

Ingens in omni hominum genere malum, quod prudentiſſimos etiam ad nomine & poſteritate indigna perculit. nec mirum, cùm ferè rationem qua vna à belluis decernimur, adimat; aut tam validè concutiat, vt vix veteris iudicij, firmitatis, roboris ſemina reperias. Grandius deteriuſque ebrietate

ma-

malum, quia plures occupat, quia impotentior ebrietas irâ quàm vino nata, quia efferatior, quia validior in malum, quia diutiùs tenet, & infauſtiores euentus dare conſueuit. quo magis vitanda Superiori eſt, cùm nulli magis quàm imperantibus noxia ſit: quorum ferè indignationes in vno capite ſtare non ſolent; plures tangunt, & æſtu ſuo amburunt multos. Mala vitij huius breuibus complexus Ambroſius eſt: *Ira inter cetera vitia nihil aſperius, nihil inuenitur amarius, quæ dum vltra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, ſenſum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumq́; corpus perturbat. hinc protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, & blaſphemiæ ſuſcitantur.* Et Chryſoſtomus: *Nihil iracundo homine inſuauius, nihil infeſtius, turpius nihil, feræ potius quàm iracundo homini cohabitandum, illæ cùm manſuefactæ fuerunt, ſuam ſeruant legem: hunc quoties mitigaueris, rurſum efferatur.*

In Religione verò eo magis fugiendum malum, quo manſuetudo & clementia iracundiæ inimica propriæ Religionis virtutes ſunt: à quibus quantum receditur, tantum à ge-

genuino Religionis ſpiritu aberratur. & ſi in vllo hominum genere turpis illa irarum ebrietas ſit, turpiſſima in Superiore eſt. quem cùm prudentia ceteros antecellere deceat, caput nimirum membris, tum miſerrimum eſt longiſſimè ab illa exulare, & inſurgentibus iracundiæ tanquam vini vaporibus cerebri deliquia pati, eaq́ue hac adminiſtra dicere & facere quæ non dicam, non ſani ſunt Superioris, ſed nec hominis. Inſurgit ſæuitq́ue hac duce ſæpè Superior in innocentes, præmiat noxios, innoxios damnat, præpropera in domini caput ruitura ſubit conſilia, & in eum ſe frequenter locum conijcit, è quo integra fama & ſalute, nec ſe nec ſuos recipere poteſt. quid ? quòd ipſam etiam Religionem in grande nominis diſcrimen adducat, hoſtibuſq́ue ridendam obijciat, omnibus tutelaribus armis nudatam. non fierent hæc ſi efferæ huius belluæ impetus reprimeret, ſi compedibus loriſq́ue ſtringeret, ſi moram tanquam frenum improuidè ruenti inijceret; ſi nihil hac duce ac monitrice ſtatueret, nihil huius imperijs aut conſilijs concederet, negaret omnia; ſi vt ſer-

Digitized by Google

ſeruum haberet, quem turpe eſt imperare domino; ſi vt hoſtem vinculis ſtringeret; ſi denique vt nouaculam iugulo, vt enſem pectore, vt venena labris remoueret, memor Poëtæ:

Ira furor breuis eſt. animum rege, qui niſi paret,
Imperat. hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

memor Stoici: *Optimum eſt ad primum mali ſenſum mederi ſibi, tum verbis quoque ſuis minimum libertatis dare & inhibere impetum.* hinc illud Comici laudatum ſemper:

Exiſtimandus ille præſtantiſſimus,
Iniurias qui ferre nouit maximas.

qui nimirum iram domuit, qui extinxit calorem, qui efferos illius motus calcauit. Commendati ab hac re Ptolemæus II. Ægyptius, Hiero Syracuſanus, Auguſtus, Traianus, Hadrianus, Aurelianus; cuius illud circumfertur, *Quo maior, eo placabilior.* Epaminondas, cuius, poſt innumeras propè à patria iniurias, hæc vox, *Nefas eſſe patriæ iraſci.* Aragonum Alphonſus, cuius illud magni regis eſt: *Regum eſſe non modò benefacere, ſed mala etiam patienter audire*: nec exurgere in iram, aut facilem in illam eſſe.

Et

Et ſanè, ſi vllius vitij, iracundiæ inprimis, iugum excutere à ſe Superior debet, cùm hæc omnis prudentiæ, qua imperia ſtare firmariq́ue ſolent, hoſtis ſit acerrima; vt quæ nullum illi locum concedat, omnem eripiat, & euertat; maturioris cōſilij inimica cùm omne deliberationibus tempus excludat. callidè nimirum arrepta, callidiùs etiā exequitur, & feciſſe illi pro conſilio eſt; imperaſſe, deliberaſſe eſt. quin & anteuertunt plerumque imperia cogitationem: tam fatuo celeriq́ue procurſu malum hoc ruit. Inſurgit deinde ſæpè Superior, dum immoderatis caloribus indulget, in conuitia & contumelias, & pro ratione illi calor eſt. quæ res cùm prouocet non infrequenter in paria inferiorem. perfacile videre eſt quanta meritò timeri incommoda debeant: cùm nihil promptius ſit quàm ignibus ignes excitari, & flammam vnam, aliam parere. Neque enim ſemper ea moderatione inferior eſt, vt perpetuam aquam ignibus Superioris offundat. abripitur ſæpè, & priuſquam rationi locum tribuat, ignibus Superioris accenditur, & antè propè ardet quàm æſtum ſenſerit, vt iā nec de-

Digitized by Google

deliberationi, nec rationi locus ſit, cùm incogitantem Superior & imparatum aggreſſus, calorem calore prouocat, immemorque inferior conditionis ſuæ & Superioris, inſurgit in paria venerationis oblitus. hinc ea vtrimque dicuntur quæ ſeriùs indicta vellemus, nec emendationem admittunt, non magis quàm è præcipitio ſaltus; reliquiſque ad eadem audenda animos addit. quo fit vt omnis paulatim Superioris auctoritas colliqueſcat: ſed & omnis prudentię opinio euaneſcat. ſequitur diffidentia quædam, & violandi ſecreti timor, cùm non omninò immeritò vereri inferior poſſit, ne è præproperis caloribus, excuſſa ratione, ea Superiori excidant, quę ſanctè illi ab inferioribus concredita. quo fit, vt timore creſcente, fiducia exulet, nec vulnera iam morboſque ſuos inferior Superiori retegat, claudat potiùs, ne quæ ſecretum poſtulant, ſubitis æſtibus erumpant. quare cùm morbi vulneraque premuntur, & medicam manum auerſantur, quid niſi grauiora metuenda ſunt? Iam Superior in quos non errores, nulla arte corrigendos, ſuorum ignoratione labetur?

Illud

Illud etiam in hoc vitio malum, cùm Superior iracundia imperante, præproperè aliquid ſtatuit, vix remedio locum relinqui. reuocare enim imperata, durum; perſtare in imprudenti decreto, grauius. vtrimque nomen & auctoritas periclitantur. reuocabit? imprudentiam fatebitur. ſtabit in ſententia? damna metuenda ſunt. inter hæc mediam inuenire & ſequi viam difficile. quo fit vt plurimùm, ne inſipientiam fateri cogatur, in malè imperatis perſeueret. è qua re quanta neceſſum naſci incommoda nemo non videat.

Nemo ergo Superior è primis caloribus, ad res verbaque erumpet. ac vbi ſubnaſcentes ſenſerit iracundiæ ſtimulos, moram, tanquam aquam & puluinaria ignibus & ſpinis ſubijciet. audiet Poëtam: *Da ſpatium, tenuemq; moram; malè cuncta miniſtrat Impetus.* & alium: *Dum furor in curſu eſt; currenti cede furori.* & Gregorium: *Quoties ira animum inuadit, mentem edoma, vince teipſum, differ tempus furoris, & cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica: ira enim in vindicta malorum ſequi habet rationem, non praire: vt quaſi ancilla iuſtitiæ*

poſt

poſt tergum veniat, & non laſciua ante faciem prorumpat.

Sed neque ex iracundiæ imperio proſiliet ad imperia, tempus aliquod ſibi & iræ dabit, vt temperato calore maturiùs certiuſque aliquid ſtatuat, memor ebria conſilia ebrios euentus accerſere. ita ebrietas quędam animi eſt, nihil proinde in hac vir prudens decernet; edormiet antè hoc vinum, vt reddita ſibi mente, nihil pœnitendum dicat, nihil faciat.

CAPVT XXV.

Duritia & remiſſio declinanda.

DVram & inſuauem gubernationem faciunt:

1. Si rigidiorem ſemper in imperio partem ſequatur, nunquam in benigniorem ſe flectat Superior, extrema vrgeat, & quæ duritiem ac ſeueritatem ſapiunt ſtudioſè diſquirat. per illa ſuos ad propoſitum ſibi finem deducat; ac licet per mitiora faciliore via poſſit, auerſetur tamen illa, & quidquid

ſua-

ſuauitatem redolet, immemor fragilitatis humanæ, immemorq́; diuerſitatum ac conſtitutionum ſuorum, omnes eadem per omnia ſemita ducat; ferat aut non ferant vires, exhorreat imperata ſubditus an amet; periculis illum, dedecori, variorumq́ue oblocutionibus exponat an ſecùs; emolumentum inde ſperari poſſit an damna, omnibus eadem tenenda via eſt. obdurauit nimirum animum Superior, ſibiq́ue perſuaſit inferioribus, vt inſtrumentis ratione carentibus, non vt ratione præditis vtendum eſſe. nihil proinde corporis aut animi imbecillitati, nihil vlli excuſationi dandum, principio huic inhærens, hoc eſſe imperare; velle & exequi, nec vltrà; degeneremq́ue imperio eſſe qui alios audiat, quiq́ue conceptam ſemel ſententiam, quibuſcunque in medium allatis mutet.

Barbaræ omnino ſunt hæ cogitationes, & quę imperium ferro & ignibus, non ratione tuentur. quo magis alieniſſimæ ab omni Superiore Religioſo eſſe debent: cui maxima cura roboris, imbecillitatis, propenſionis etiam ac auerſionis naturalis; ita vt licet

Digitized by Google

ſubditum parem oneribus aut muneri imponendo ſciat, ſi tamen alienum ab eo videat, animum primò illius componat, aptet ad imperata ſuſcipienda, exſpectetque donec paratum aut ſanè non abhorrentem expertus fuerit; ne ſi tam crudè imparato imponat, ſentiat reluctantem, ac iugum etiam excutientem. Idem videmus in humanis, nemo rudi aut indolato ferro aut ligno imaginem inſculpit, aptat antè materiam formæ ſuſcipiendæ. ſed neque ſemina quis immittit incultæ terræ, ſubigit hanc variè, ac pinguibus fœcundat. nec mancipio quiſquam aut iumento viribus imparia imponit: metitur variè ante robur, ne, ſi ſuccumbat oneri, & mancipio ſpolietur, & excuſſorum onerum damna ſentiat. Faciet idem Superior, animum imperatis aptabit, ſingulorum robur ſerius ſcrutator conſiderabit, incipiet à minoribus, tranſcendet inde paulatim ad maiora, ad ſumma demum, manumq́; ſemper ipſe admouebit, benignioribuſq́ue verbis, monitiſq́ue oneris magnitudinem leuabit ac mitigabit. Inuenies hoc in omni prudenti ciuili gubernatione, in militia, in toga,

in

in percolendis etiam agris.

2. Si timeri magis quàm amari deſideret: & metu ſuos magis ad obſequia quàm amore impellat, quòd arbitretur imperia à timore nata propiùs maieſtatem quandam veri imperij referre, ac plus ſecum venerationis adducere; quaſi non maiore certioreque voluntate ferantur inferiores in amantem & patrem, quàm in dominum, minis, pœnis ac timoribus familiam implentem. Grauis hæc res iis, qui ſe ſuaque omnia, vltroneâ non coactâ voluntate; nec pretio, ſed amoris diuini impulſu, Superiori tanquam patri, non domino, ſubdiderunt: qui ſeruiles hos timores deſpoticam gubernationē comitantes ſemper exhorruerunt. Sanè ſi Superior cogitet patrem ſe, non dominum ſuis à Deo datum, filioſque ſibi, non ſeruos aut mancipia ab illo concredita, & vocationis etiam & adoptionis prærogatiuâ pares, fòrs & virtute & cæleſtibus præmiationibus ſuperiores; non deſcendet ad hæc imperia: ſed neque ad aſpera & duriora verba & iudicem ſuum loquentia. cogitabit enim ſe patrem, adeoque & matrem, nec obliuiſcetur cum

Digitized by Google

Chriſto ſuo concreditorũ ſibi cælitus filiorum. quin, antè mater vteri vberumq́ue obliuiſcetur, quàm ipſe domeſticorum ſuorũ. ſed neq; imperata ſæuioribus inuoluet verbis, memor medicorum qui medicamenta per ſe amara ſuauibus veſtiunt, & mollibus adiuuant, omniq́; verborum lenitate amaritudinem mitigant, horrorem leniunt.

3. Si pari zelo, ſtudio, ardoreq́ue minima vt maxima exigat, aut illa etiam maiore; pari etiam tranſgreſſores pœnâ feriat, pariumq́ue in illis verborum maieſtate, pōdere ac robore vtatur: vt culparum diſcrimina neſciat, niſi quòd à ſuo ingenio ſuaq́; illas propenſiore aut alieniore voluntate metiatur. quaſi ſi quis ciborũ præſtãtiam aut malignitatem, à guſtu ſuo ſtatuat: aut rerum magnitudinem aut vilitatem à pronitate ſua in illas nominet. Non leuis error cùm minima quæque tantis verborum ponderibus in altum tolluntur, tanquam ſi vniuerſæ ab ijs Religionis ſalus, robur, incolumitas, bonaq́ue valetudo pendeat; aut tanquam ſi minimorum omnium trãſgreſſio, extremorum criminum culpa ſit. quæ res tirones & à ma-

Digitized by Google

tris vberibus recentes in ſtuporem quendam impellit, anxioſque ac ſollicitos habet, ac in grauem profundumque non rarò mœrorem, animo in primis noxium abijcit: veteranis verò riſum & contemptum prouocat, ingentemque conceptæ antè de Superioris prudentia opinionis diminutionem.

4. Si omnibus ad ſe delatis, tanquam certis & falli neſcijs adhæreat. vt nullū ſubdito pro ſe reſpondendi locum concedat, & antè acerbè moneat, iudiciſque perſonam induat expleatque, quàm pro ſe dicentem reum audierit, parantemque dicere acrioribus repellat, vel quòd alieniore à reo ſit animo, vel quod accuſatori coniunctior ob priuatas familiaritates & amicitias, aut ob virtutis rectique opinionem, plus illius verbis & delationibus tribuat; rei verò omnem purgationem eleuet, ſingulaque propè illius verba carpat, atq; ad omnia acerba quædam reponat, oſtendatque ſe illi diffidere, ſuſpectum habere. quæ res magnam animorum acerbitatem ingenerat, magnam alienationem, præbetque ingentem oblocutionum materiam, ac ingrates non rarò nulla

poſtmodum induſtria emendandos errores Superiorem præcipitat: cùm innocentiſſimi ſæpè damnentur, liberentur noxij, & in vltimos non raro mœrores, mortem frequenter allaturos, extra omnem omnino culpam poſiti, conijciantur; aut vt minimum ab omni digniore munere ingenti Religionis damno arceantur, digniſſimi alioqui quibus maxima quæque ſummo Religionis bono committantur.

5. Si alienum ab inferiore animum habeat, illumque quà verbis, quà factis non obſcurè præ ſe ferat, dictaque factaque illius in deteriorem ferè partem interpretetur. nihil illi laude dignum credat, nec parum etiam priuatim publiceque apud alios de virtutis illius opinione detractum eat; ſi quid commendatione dignum egerit, deprimat; ſic vbi in re leuiſſima erratum, ſupra verum extollat. ſi vt minùs ſincerum, minuſque ſibi addictum habeat, aut auerſum etiam à ſe arbitretur, factorumq; ſuorum ſubditum obſeruatorem, dictorumque malignum interpretem putet; quo fiat vt omnia illius Superiori ſuſpectiſſima ſint. quæ res parem inferiori

riori ſuſpicionem ingenerat, diffidentiamque in omnibus parem, cùm diffidentiam diffidentia prouocet, mutuoque ſe animent ac acuant. atque hinc nulla vtrimque fides. cuius loco doli ſuccedunt, ac fraudulentæ molitiones in mutuam perniciem excogitatæ. quod malum ſola perſonarum locorumque mutatione curari poteſt.

6. Si ad quæcunque petuntur, aut dubius hæreat, quaſi inſidias metuens, aut rogata neget, ne auditis quidem aut admiſſis petentis rationibus, nullâ habitâ ratione vtilitatis, neceſſitatis, benignitatis, aut boni maioris: cùm putet ſibique perſuadeat hoc demum eſſe imperare ſi pro arbitratu ſuo neget omnia, nullarum omnino rationum, ſed ſolius ſuæ poteſtatis memor, quam in ſubita nudaque negatione conſtitutam eſſe putat: aut ſanè nihil concedat, niſi tantis, magno verborum pondere ac moroſitate, motis difficultatibus, vt gratius foret negaſſe, quàm talibus verbis conceſſiſſe. extorta enim hæc quaſi ab inuito, non à benefico patre conceſſa agnoſcit inferior. neque poteſt gratum hoc munus eſſe, quod tot neceſſi-

ceſſitatum interrogatiunculis, tot allatis difficultatibus tanquam perpetuis in orbem ſpinis implexum eſt, vt nuſquam propè tangi ſine vulnere aut liuore poſſit.

Remiſſam nimiùm ac languenti ſimilem, ac quaſi animo delinquentem gubernationem faciunt:

1. Si quaſi per neglectum aut contemptum, minimorum obſeruatio iaceat, cùm ſolis maioribus inuigilandum ſibi perſuaſerit; iiſque ſolis incumbendum, quæ offenſionem parere aut ſcandala ſoleant, reliqua negligat, aut indigna etiam arbitretur quibus ſeriam manum admoueat, tanquam ſi damna ab his metui non debeant, aut anxię ſcrupuloſarum conſcientiarum ſollicitudines ſint, pluſque feminam quàm virum deceant; aut deniq; cùm omnium gratiam captet, omnium offenſionem deuitet, fortis regularum obſeruator audire nolit; remiſſiorq; audire malit. quaſi non, vt nimia ſeueritas imperia ad interitum deducit, ita non etiam nimia benignitas remiſſioque noxia in primis ſit, & non inferiora minetur.

2. Si errantes non moneat, non puniat, ſiue

ſiue innatâ quadam animi puſillanimitate, ſiue placendi omnibus ſtudio, ſiue nullum offendendi voluntate, ſiue emendationis deſperatione, ſiue laborum ac moleſtiarum fuga. vt proinde impunita omnia trãſeat, ac vnumquemq; motibus ſuis agi ſinat, factus omnibus in interitum indulgentiſſima ſemper mater. quæ res non poteſt non tandem, vt priuatis, ita & religioni extrema minari, atque ad infauſta præcipitia non vltimorum interitu nobilitata deducere; omni ſpe reſtituendi aliquando deperdita, ſtirpitus adempta. Vetus dictum, *Malum quidem eſſe Principem habere, ſub quo nihil vlli liceat; peius verò, eum, ſub quo omnia omnibus.*

3. Si humilitatis amore, ac cuiuſdam quaſi perfectionis ſtudio, imperia, ſeque ipsũ negligi ac cõtemni gaudeat, ſe ſuis ſubijciat, illorum iudicia ſuis anteponat; adeoq; neglectus cuiuſdam ſui ſtudio errare cum illis malit, quàm prudenter ſuo iudicio imperare, totumque ſe ita cæleſtium contemplatio dedat, vt faſtidiat reliqua, ad quę non niſi nauſeabundo & tepenti pectore accedat, nec aliter illa quàm per ſuperficiem

ac per capillorum vltima tangat: vt dum totus abditæ cuidam pietati incumbit, virtutumq́ue ſecundis progreſſibus abſorbetur, & ad ſola vitæ melioris, os, oculos, manus, mentemq́ue habet; vniuerſim ſe retrahat à reliquis, cùm indignum arbitretur bonas horas talibus largiri, maximamq́ue vnam felicitatem in diuinorum meditationibus ita ponit, vt nullam omnino reliquorum rationem habeat; pereant reliqua dum animo ſuo benè ſit, & ſolatijs fruatur internis, commiſſorum ſibi ingens neglectus eſt. quos priuatæ magis vitæ ac ſolitudini quàm imperio natos dixeris. magnos enim fòrs tales ſolitudo dabit, gubernacula perdent, & aliorum peccatis cadent, qui pietate ſua ſtetiſſent.

4. Si nimia quadam animi facilitate ac inconſtantia ad omnem ſubditorum propenſionem preceſq́ue, propoſitám antè ſententiam mutet, illud ſingulis noxia indulgentia permittendo quod quiſque delegerit, difficultatibus quæ in rerum executionibus occurrunt, victus. Quę res euertendis, non conſtituendis imperijs aptiſſima eſt. neque

que enim iam Superior, ſed ſinguli veriùs inferiorum imperant: cùm non tam illius voluntati inferiores, quàm horum ille obſequitur. ſed neque certi quidquam ſolidiq; in hoc imperio eſt, nec ſecurus quiſquam inferiorum de ſententia ſui Superioris eſt, cùm ſemper in periculo verſetur, ne ad alterius preces aut rationes imperata mutet.

5. Si ob innatam animo lentitudinem, teporem, pectoriſque quoddam frigus, nullis occurrat malorum initijs: omniaque medicamenta ad extrema conijciat. ac nec tunc quidem manum admoueat, laborum ac difficultatum pertæſus, aut de ægri ſui voluntate, parendique ſtudio diffidens. Magnum in imperijs malum, quod aut ſubditos ad ferrum & ignes, extremorum remedia, impellit, cùm leuiſſimis curari poterant; aut nec tunc quidem inclementi quadam benignitate ac indulgentia manum admouet. arcendi omnino tales ab omni imperio ſunt, adeoque vix ad obſequia & parendum idonei. ſibi his viuere poſſunt & debent, alijs non poſſunt. cùm ab hac lentitudine nihil ſperari præter ingētia damna, ac perpetuum

benè gerendarum rerum neglectum poſſit, omniſque ſub hac, domeſtica diſciplina, qua vna Religionum robur ſtare conſueuit, tanquam ſpongia eluatur.

6. Si ob reſpectus quoſdam humanos, priuatam familiaritatem, ſanguinis coniunctionem, parentum amplitudinem, ſperatam priuatam aut domus vtilitatem, gratiam qua apud Principes aut benefactores valent, ea permittat inferioribus, quæ cum inſtituto, felicibuſque huius progreſſibus pugnant; quęque reliquis paria audendi exemplum præbent, aut ſanè vniuerſam domum miris oblocutionibus implent; ſi quod vni conceſſeris, negaueris alijs, & plura etiam audendi materiam ſuggerunt. quibus ferè conceſſionibus, dum plurimùm nuſquam ſiſtitur, ſed vna alteram protrudit, ruina cõiuncta eſt, nam aut omnibus eadem, pariáve permittenda, & omnis religioſa diſciplina eneruatur ac euertitur; aut quod vni conceditur, negandum alijs, & præter amplam detrahendi materiam, omnes in vnius capitis euerſionem armantur: nec antè finem faciunt, quàm & Superiorem & illum indulgen-

gentiùs habitum penitus euerterint.

Temperanda proinde aſperitas benignitate eſt, & prudentium medicorum more amara dulcibus condienda ſunt: quòd ſi grauior inualetudo acriora aliquando medicamenta depoſcat, verbis hæc, tanquam à matris ore ac vberibus nata, mitiganda, dulcibuſque acriora veſtienda erunt, propoſitiſque præſentibus periculis, ſperataque valetudine, animandus æger erit, vt forti promptoque animo duriora vltrò depoſcat ac perferat, ſine quibus interitum meritò vereri debeat, quorumque auxilio integram tot modis optatam valetudinem ſperare tutò poſſit.

Nec erit hoc difficile conſequi, ſi inferior Superioris benignitate, ſolidoque veri parentis affectu prouocatus, ęgritudinem omnem ſuam, tanquam in amatæ matris ſinum effuderit. ab huius enim manibus, licet ſenſu repugnantia, lubens volenſque quæcunque amara ſuſcipiet, haurietq; ſpe meliorum plenus.

Et grauis ſanè Superiorum error eſt, qui acriora medicamenta acrioribus obuoluũt

verbis: cùm & iudices mollioribus animare ſoleant reos ad pœnas delictis debitas forti animo ſubeundas, & amica etiam quædam corpori ſolatia largiuntur, vt ſecuturis tormentis parent. quo magis Superior qui veri ſemper patris, etiam dum punit, perſonam referre debet? Quòd ſi hîc etiam punitionis finem intueamur, perfacilè erit, quibus illa modis inſtituenda ſit, videre. cùm enim non interitum, ſed inferioris tanquam filij valetudinem, propoſitam ſibi Superior habere debeat, ea adhibenda erunt, non quæ mortem, ſed quæ pulsâ ægritudine valetudinem reddant. quod nunquam fiet, ſi reluctãtem, animoque acrioribus Superioris ſui verbis obduratum, nactus fuerit. neque enim ab illius nouercali ac quaſi inimica, & ſolius iudicis, non patris manu medicamenta ſuſcipiet. quin adeò vbi ſemel firmauerit mentẽ, ac quaſi callum durioribus increpationibus obduxerit, antè vitam ponet quàm propinata hauriet. & quis æger à moroſi medici, & aſperioribus verbis acria medicamenta exacerbantis, porrecta ſumat? quin adeò ſi animo vehementer refragante, & acrioribus

ex-

Digitized by Google

exaſperato, medicamenta ſumpſerit; plus periculorum quàm valetudinis bonæ exſpectare debemus. volunt enim etiam medicamenta iuuari, naturæque auxiliarem quandam manum depoſcunt. ita vt hac fortiter repugnante, ac in contrarium validè nitẽte, vix ſperari felix operatio poſſit. Omnis ergo Superiori in medicamentorum præbitione aſperitas fugienda, omnis grauior verborum acrimonia, ac quidquid denique turbatum commotumque animum deſignat. fruſtra enim his adminiſtris meliora ſperet. Sed neque res ſupra verum augenda, neque tenuia in immenſam molem tollenda, nec paribus omnia delicta monitis, eodemque verborum pondere caſtiganda. quaſi ſi quis omnem ægritudinem pari medicamentorum robore curare velit, & omnibus ignem & ferrum admoueat. quæ res cùm extremæ ſit dementiæ; tum ſalutem perpaucis, interitum pluribus adfert.

Illud etiam in omni curatione neceſſarium, vt non vindictæ aut humiliandi ac deprimendi inferiorem, aut alterius minùs cõpoſiti affectus ſtudio, ſed ſolius valetudinis

Digitized by Google

illius bono ferri videatur, quo ferè modo patres medicoſque videmus, in filiorum & ęgrientium conſtitutione duci. nam ſi priores in Superiore affectus inferior ſenſerit, obdureſcet animo: & fruſtra valetudo ſperabitur tam inſolentibus acribuſque porrecta. In negandis deinde quæ inferiores petunt, non deſpoticis, ſed paternis vtatur verbis, rationemque non rarò rei negatæ reddat: animumque poſcentis ita paret, vt etiam ipſe negata probet: ſpemque interdum Superior; non inferioris alicuius rei, ſed potioris etiam concedendæ oſtendat.

In inlatentibus verò malis, & altè animo defoſſis, magna omnino induſtria, prudentia, circumſpectione ac ſolercia opus eſt. in his enim ſi vnquam ab omni omnino verborum acrimonia abſtinendum eſt, vt etiã ea quæ nimiam paternam ſapiunt referuntque grauitatem, ſemouenda ſint; cùm blandientium hic matrum mores, vberaque lacte plena porrigenda ſint, vt in benigniſſimæ ac tantùm matris ſinum, poſitâ verecundiâ, audere incipiat effundere, donec vniuerſum virus deprompſerit: tunc demum

mum prudens ac benigni medici clementiſſimíque patris dextera accedat. nec difficilis curatio erit. malum enim nouiſſe propè curaſſe eſt.

Denique in omni gubernatione ac quorumcunque delictorum pœnis ita ſeueritatem manſuetudine Superior temperet, vt plus ſemper benignitatis quàm rigoris, plus patris ac medici ac matris quàm ſolius iudicis referat; memor ſemper Dei, quem toties patrem ac matrem, ac nonniſi poſt alia omnia nequidquam tentata iudicem experimur. Talem verò ſe Superior inferioribus præbeat, qualem in ſe delictiſque ſuis Deum exoptat ac deprecatur. nec in maiores exurgat in ſuorum delictis iras, indignitates, acerbitates, pœnas, quàm Deum exurgere in ſuis deſiderat.

In omnibus his tamen à nimia remiſſione caueat Superior: ſed ita benignitatem paternâ quâdam maturitate ac ſeueritate miſceat, vt nec indulgentior benignitas debitam Religioni diſciplinam laxet & eneruet; nec nimius rigor ſeueritaſque animos vbi exaſperauerit, in diſciplinæ quoddam

odium

odium adigat:ſed ita vtramque temperet, vt plus ſemper in imperijs benignitatis quàm ſeueritatis eluceat, vti plus in diuinis imperiis clementię quàm rigidæ iuſtitiæ, plus patris quàm iudicis videmus.

CAPVT XXVI.

Annui ſumptus non facilè excedant prouentus.

QVanta ex huius tranſgreſſione incommoda naſcantur, perfacilè videbit qui propriùs rem intuebitur. hinc enim æris alieni exoritur onus graue. importunæ creditorum moleſtæque ſollicitationes, famæ nominiſque diſpendia, conceptus animo mœror, perpetua ſollicitudo, anxia mens futurorum, quæ nec pacatas concedit noctes, non dies, curæque curis innaſcuntur, cùm æs alienum alteri accreſcit, quæruntur inde amici. & qua quæruntur, perduntur amici via. ferè enim cum mutuatitia pecunia amicitia exuitur. ſed & à cogitata familiaritate reſiliunt multi, veriti ne ad petendũ auda-

daciores conſuetudo faciat,& cùm conſultius arbitrentur non inire amicitias quàm paratas reſcindere,retrahunt pedem,& aliò cogitationes flectunt.

Perit deinde religioſa monendi ac docendi libertas omnis, cum paucos reperias ea conſtantia,qui beneficiis deliniti, audeant,cùm res & ſalus poſtulat, ſeria imponere monita. vt terroribus munera pectus impleant,& obturent ora donaria. nam & offendendi metus timorque gratia excidendi,& negandæ pecuniæ trepidatio, libertatem tollunt,audaciam minuunt, pudorem iniiciunt. ita dum parcitur amico, perit amicus, & nos ſimul cum amico graues non rarò Dei offenſiones incurrimus, cauſſa ſæpè in illo grauioris delicti.quod creſcit monitoris ignauia, & ſcelera virtutes arbitramur,cùm ſilentio viri Religioſi adiuuantur. & delictum iam huius eſt, qui cùm debuit & potuit,non monuit.adeò ſperata ſpes lucri obfirmat ora, & audaciam eripit, & ſimulationem adducit,& animos deiicit.

Offenſiones hinc etiam naſcuntur externorum, & late detractionum materia porrigitur,

rigitur, vt totis iam campis diffundantur obloquutiones; & prodigus Superior audiat, & alieni cupidus, & ſui negligens, & fatuus erogator, & prudentia prouidentiaque deſtitutus, & miſeratione indignus & auxilio, familiæque ſibi concreditæ depopulator.

Inde ingens noxiaque in primis libertas ſubditis conceditur. cùm enim ſe rerum inopia premi Superior ſentit; nihil prius habet, quàm vt neceſſaria parandi ſuis facultatem largiatur, quò ſe hoc onere expediat. è quibus initijs neglecta iacet paupertas, æmulationum exurgunt maria; quæruntur modi. virtute non poſſumus? vitia aperient viam. & iam à mulierculis emendicamus quod negatum domi eſt. hinc ille felicior qui potentioribus coniunctior eſt: beatuſque qui numero & opibus vincit; infelix qui potentibus deſtituitur. vnde variæ exoriuntur molitiones: & vt ingenioſa egeſtas eſt, inueniũtur profuturę. negat aditũ probitas; improbitas doliq; inuenient. nimirum fas, nefas, reperienda potiundi ratio eſt. non dabit pietas? fraudes dabunt. vt taceam grauem omnino hanc rem eſſe externis, ac in

con-

contemptum ire Religionis, & quidquid erat nominis boni plebeio calcari pede, ridendamq́ue propinari familiam totam, & à conſuetudine denique talium terreri. negare non audent, dare nolunt. ne negare cogantur, familiaritatem fugiunt.

Quin & vniuerſa fere domeſtica diſciplina iacet, cùm ſinguli rebus ſuis ſtudēt, pluſq́ue illis operæ quàm perfectioni impendunt, mutuoq́ue ſe ad commoda exacuunt, & ſociorum exemplo paria audent, ad maiora etiam æmulatione accendente. & poſterior omnino cura Religionis, prima habendi eſt. ignorat neceſſitas modum, cui ſi per Superiorem ſtrata ſemita eſt, omnem egreditur modum. ſed & ipſe Superior perpetua ſollicitudine diſciplinæ neglector eſt. quaſi ſatis illi ſit ſuorum induſtria inopiam depelli. quare ne quemquam familiæ commodum offendat, permittit omnia, è Religionis illa regula ſint an ſecus, pro eodem habet: ſatis illi habuiſſe. nec neceſſaria tantùm concedit, ſed quidquid animo libitum eſt. cùm enim vereatur, ne, ſi quædam neget, à reliquis excidat; indulget omnia

ne

ne careat optatis, ne ſperatis excludatur. hinc ſuperfluarum rerum, & cum Religione pugnantiũ ingens farrago exoritur, nec iam vltrà Religio, ſed cauponantium veriùs exurgunt cellæ. vt Religioſum nomen videas, & veſtem animo ſuo vacuam, corticem nimirum arbore ſua viduum. habitum & domum ſi contemplatus fueris, Religioſum arbitraberis: propriùs ſi acceſſeris, fuiſſe reperies. nunc mortem cum libertate bibit. vt ex vero dixerim, Hactenus Religio, & quod de Sodomæ pomis, Mentitur color; ſi tetigeris, fatiſcunt in vagum puluerem, ludunt oculis, manuſq; & ora fallunt, & fruſtra cibus eſt; eadem de Religione hac dixeris. fuit. nequidquam hîc quæras. aliò cogitationes flecte.

Sperata denique animorum in proximo ſalus vniuerſa propè perit, nam cùm emendicationis timor familiaritatem neget ac adimat, bene merendi occaſionem excludit. neque enim prudens quaqua ignotum melioribus inſtruit. animum primò parat, beneuolentia deuincit, comitate allicit, benignitate prouocat. inde, vbi tanquam vomere

mere ac ſarculo terram, frequentata conſuetudine mentem proſciderit, ſeminique aptauerit, profutura ſpargit, quæ fœcundis familiaritatum rigationibus exurgant in herbam, in ariſtam, in culmum, in ſpicam fertili compagine ſtructam, diuite copia fœneratam, & vſquequaque munitã. neque quidquam facilius, quàm vbi animum læta conſuetudine paraueris, ſanioribus tingere. nihilque difficilius quàm primo aggreſſu moroſa maturitate ac ſeria in omnem partem tanquam cana quadam deuexæ ætatis prudentia, mentem ad meliora flectere. vincendus animus beneuolentia eſt. imperare qui vicit, poteſt. expugnandumque comitate pectus. omnia poteſt qui expugnauit. victor animorum, victor aſſertionum eſt. & imperare tutò poteſt qui poſſidet. poſſeſſio benigna familiaritate paratur. hac vince, & beneficijs: & lubens ſe ſuaque victus, credet beneficio victori ſuo.

Accedit ad hæc creſcente cum ſumptu ſupra fortunam ære alieno, vt vniuerſa familia opprimatur, & cenſum debita ſuperent, & aut ad creditores vniuerſa tranſeant,

aut

Digitized by Google

aut alium dominum tecta recipiant, prioribus aut emortuis, aut ſedẽ mutare coactis, non ſine infami Ordinis ac Religionis ſignatione, ſera poſt res prodactas pęnitudine.

CAPVT XXVII.

Fiducia in Deum.

EXcitabit in ſe hanc Superior, innixus ſponſionibus Sapient. Eccli. 1. *Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Et Prophetæ Iſa. 4. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Et magni regis: Pſ. 90. *Tu es Domine ſpes mea, Altiſsimum poſuiſti refugium meum.* vt audiat Dominum: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, eripiam eum, & glorificabo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* Ingenti proinde ſit in omnibus in Deum fiducia, timorem excutiat, animos induat magnos tanto patre dignos. Res Auguſtæ domi ſunt? diuitem habet Dominum cælo repoſitum, qui nunquam paſſus eſt ſuos fame extingui; qui

coruos

coruos alit, & lilia veſtit. inimica inſurgunt agmina ſiue terris nata, ſiue inferis excitata? potentiorem ducē habet qui vno flatu regnorum diſperdet exercitus. maledicæ premunt linguæ, & falſis onerant criminationibus, factaque ac cogitationes domi ſuæ fabricata innoxio appingunt vertici? Deum vindicem iudicémq; intueatur, nec humana metuet. pro benefactis mala referunt? Deum cogitet præmiatorem; tantúmque ferè à cæleſti mercede decedere, quantum ab humano ore laudis quiſque accepit: & gaudebit etiam cùm benefacta ſua, humana ſenſerit ingratitudine remunerari. dignum Deo ſpectaculum, benefacere & pati; damnari & laudare; detrahi & amare; damna inferri & beneficijs onerare; minas intentari & gratias agere; interimi & amplecti, & pro carnificum ſalute vota fundere, prouocabit in ſe hos animos Superior, & humanis maior cælum cogitabit.

Quid ſi domeſticos patiatur hoſtes? ſatis illi ſi Deum habeat amicum: ſibíque perſuadeat, aut iuſto ſibi hæc in delictorum pœnam Dei iudicio euenire, aut in virtutis

ex-

Digitized by Google

exercitationem,aut in meriti augmentum. Sanè ſi certò in animum induxerit ſuum, à Deo optimo parente ſiue immittente, ſiue permittente hæc prouenire; gaudebit aduerſis:néc homini aut hoſti imputabit, ſed diuino fauori. quin & amabit hoc hoſtile inſtrumentum. hoſtile enim non fuit, amicum fuit: mercedis enim ſperatæ magnæ, gratumq́ue cæleſtia ſitienti animæ inſtrumentum. Nunquam proinde reponat mala vir Religioſus: etiam cùm poterit,continebit vindictę manum,& munificum prodigumq́ue, in aduerſarios laxabit ſinum. hoc demum vincere eſt, nolle malefacere cum poſſis; magis etiam ſi benefeceris, & pro vindicta beneficium contuleris.generoſi hæc pectoris ſunt, & Stephani lapidibus,& Chriſti ſui cruce digniſſimi. omnia vicit qui animum vicit. Impellet ſe magno conatu ad hæc Superior, quo maior in illo ferendi ac reponendi, vindictæ ac remunerationis materia eſt.

Nec difficile erit hanc in Deum fiduciam excitare, ſi quis non ſtudeat commodis Superior; ſi ſolius Dei tangatur gloria, nulla

ſui;

ſui; ſi regularum ſerius obſeruator, inſtituti amans; ſi nihil ad voluptatem ſuam ſuorumque, ſed ad ſolam religioſam neceſſitatem ſtatuat ambiatque; ſi orationis mortificationiſque ſtudio incumbat; ſi in proximorum ſalutem ſe ſuoſque, vitamque ſanguinemq; Chriſti exemplo prodigat; ſi ſolis cæleſtibus delectetur. hic enim non magno negotio humana contemnet, ingentique in Deum ſuum ſpe, ne in medijs quidem flammis deſperabit. quin imò creſcet creſcentibus malis animus, ac ſeipſo terriſq; maior, iudicem Deum metuet, præmiatorem ſperabit, nec alium. hoc qui animo impreſſerit, nihilque ab homine ſperauerit, neminem metuet, humaniſque omnibus celſior, in ſolo Deo fiduciam ponet, certus nec fallere ipſum poſſe, nec velle. quæ res omne complacendi alijs ſtudium in Superiore tollit. E quo placendi ſuis deſiderio innumera propè naſci mala videmus. dum ne offendant, à quorum ſiue induſtria, ſiue ingenio ac dexteritate domeſticę res pendent, quęcunque etiam cum inſtituti ratione pugnantia faciles concedunt Superiores; non facerent, ſi diuinis,

O non

Digitized by Google

non humanis viribus res metirentur. verùm cùm diuina fiducia vacui, humana circumſpiciunt, ad Religione indigna dilabuntur; cumq́ue placere ſtudeant, quos commodis ſuis vtiles arbitrantur, aut experiuntur, aut parandis rebus ſolertes, negare rogantibus nil audent; nec delinquentes monere, ne operam illi ſuam ſubtrahant, aut difficiles ſe ad obſequia præbeant. tanta è placendi ſtudio trepidatio naſcitur, omnia vt antè con cedãt, amica illa aut inimica Religioni ſint, quàm offendant. qui ſi animos in Deum erigerent, viderent ab illius manu promptiùs certiuſq́ue quàm ab humana beneficia ſperari poſſe: è cælorum ſcilicet nubibus copioſiùs quàm è pertenui humano ſtillicidio aquam depluere.

Et ferè contingit vt tales in manu conſilij ſui deſtituat Deus: & fruſtrà, irritoq́ue conatu magna exſpectant; cùm in miſera plerumque ſpe languentem trahant animam, infelicique ferè euentu humanas has cogitationes claudant. omnem proinde ſpem fiduciamq́ue ſuam in Deum conijciat Superior: ille & poteſt, & ſperantibus adeſſe vult &

ſo-

ſolet. quod vtriuſque fortunæ in vtramque rem exemplis omni hiſtoria teſte docemur; vſuq́ue rerum magiſtro diſcimus plus ſemper referre è diuite illius penu, qui in illo ſolo fortiter ſpem figunt. nam & iniuriam non leuem irrogare videtur Deo, qui ad humanam potiùs opem quàm ad diuinam oculos circumfert, pluſque à deciduis rariſq; illius guttis, quã ab imměſo huius oceano ſperat.

Regia proinde incedat via Superior, tenaciſſimus regularum etiam minimarum exactor; nec ad ſiniſtram nec ad dextram deflectat, ſed laudatiſſimorum maiorum ingrediatur via, eo certior quo cõſtitutionum accuratior obſeruator; & nihil ſibi ſuiſq;, non modò deeſſe, ſed ſupereſſe etiam non pauca comperiet: quæ non tantùm ad religiosè tuendam vitam ſuorum, ſed & aliorum propellendam ac propulſandã indigentiam neceſſaria ſunt. neque enim ſe vinci ab homine patietur Deus; aut munificentiam ſuam ab humana fiducia ſuperari. audet quis fidere? maiora donare audebit Deus. audet ſperare magna? vincet humanam ſpem Deus, & è locuplete cælorum theſauro, longè maioribus

beabit. vt ad humanam egeſtatem pellendam, ſatis ſit ſpem ſuam in Deo poſuiſſe, ac de illius liberalitate magna ſperaſſe. quo enim ſpes maior eſt, maiora cæleſtia dona ſunt; vt non tantùm æquari, ſed innumeris modis vinci à diuina benignitate, humanam ſpem fiduciamq́ue videamus.

Et verò nobiliſſima illa concertatio eſt digniſſimaq́ue ſpectatore cælo, ingens hominis in Deum fiducia, cum immenſa huius liberalitate compoſita; quaſi æmula vtrimque fiduciæ & munificentiæ largitione: tanquam ſi vinci nollet homo, cùm tamen vinci non poſſit Deus. felix victore Deo homo, in nobiliſſima fiduciæ & liberalitatis arena. vincere quamuis ac pariari in hac benefica lucta non poſſit homo; audet tamen imparibus licet viribus, ingentibus animis prouocare in certamen Deum: vt cùm victoriæ laudem ſperare non poſſit, è conatu tamen validoq́; auſu, clarum referat decus, tanto gratior futurus Deo, quanto in maiorem exſurrexerit fiduciam; vt etiam hanc vltro prouocare gaudeat Deus, ac quaſi ſubditis flammis incendere, quo maiora largien-

endi cauſſam nanciſcatur. gaudet enim beneficijs Deus, & munificentiæ ſuæ dona ſpargere. nam ipſe fiduciam omnem excitat & implet: factus in homine fiduciȩ incentor & auctor, vt illam benefica prodigaq́ue manu expleat, ac lòngè etiam ſupra ſpem votaq́ue munificentiſſimo ſinu excipiat, tanquam ſi ſitulam petenti tota flumina & maria expandat.

Quòd ſi contrahat contineatq́ue munificam ſuam hanc manum Deus, nec liberalitatis ſuæ nubem explicet, aut nonniſi per lentiſſima ſtillicidia depluat, aut tanquam ſiccatis benignitatis imbribus, nec deciduis quidem à rariſſimis ſtillicidijs, guttulis, ſperantium in ſe ſinum foueat recreetq́ue; tacitus ſecum cogitet Superior, quis cæleſtem illam nubem, pendulam ſemper, pronamq́ue paratamq́ue in imbres ſiccauerit ſtiteritq́ue; ſe inquam cogitet, delicta ſua, teporem languoremq́ue ſuum, negligentem ſupinamq́ue regularum obſeruationem, reliquaq́ue generis huius. ſi quid erroris ſui repererit, ſeriam manum emendationi admoueat, alta de imo pectore ducantur ſuſpiria,

Digitized by Google

prodigantur lacrymæ, denſetur oratio, exciteťque deinde ſe in ſpem magnam; & audeat quaſi iure quodam ſuo nubes depoſcere, & pro ſtillicidijs imbres ſperet. impedimentis enim ſublatis nunquam non pluent illæ nubes; nec iam ſperatos imbres, ſed toto cælo flumina mariaq́ue iaculabuntur; vt anhelum validumq́ue fiducia pectus munificentiæ ſuæ ſepeliant aquis. neque enim ſponſionibus quàm factis locupletior Deus. etiam montes promiſit transferendos, mortuos ad vitam reuocandos. audeat proinde ſperare homo, maiora qui poteſt, largietur Deus, & pro monte vno, regna etiam transferet, ſiccabit maria. pluraq́ue audeat homo. plura maioraq́ue perpetuus in hac fiduciæ ac munificentiæ palæſtra victor & triumphator concedet Deus, verumq́ue ſponſorem inueniet illum, qui ſperanti in ſe, Pſ. 90. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; cùm inclamauerit Pſ. 17. *Dominus firmamētum meum, & refugium meum, & liberator meus: gloria mea, & exaltans caput meum.* Pſ. 3. *non timebo millia populi circumdantis me.* Pſ. 26. *Dominus ſalus mea, quem timebo? protector*

ctor vitæ meæ, à quo trepidabo? ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Pſ. 55. *in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi caro.*

CAPVT XXVIII.

Pietas in Deum.

CLaudat hunc librum omnis prudentis gubernationis, omniumq́ue virtutum firmamentum & mater, veræq́ue, non fucatæ ſapientiæ comes indiuidua pietas. cùm enim à moderatrice Dei dextera fortunata ſperari, infortunata metui imperia debeant, quis non videat quo ſtudio illa paranda, hęc fugienda Superiori ſint? hinc illa omnium meritò calamis & ore laudanda morientis Seueri Imperatoris verba: *Firmum imperium meis relinquo, ſi boni erunt; imbecillum, ſi mali.* Ad robur & firmitudinem dux pietas probitaſq;, ad imbecillitatem impietas improbitaſq; ſemper fuit. Vidit hoc Theodo. cuius Nicephoro teſte, grauiſſima ad filios monita ſunt: *Pietatē colerent, nec aliud.* quaſi in illa ſola vniuerſa imperij moles verteretur. Et ante

hunc Cyrus, qui Cambyſem filium inhortatur, ne quid publicè, ne quid priuatim inconſulto nomine agat. potuit chriſtianius? Imitati Conſtantinus Magnus, & Magnus Carolus, ac è recentioribus Alphonſus II. Legionis & Caſtellæ rex, & Rudolphus Habſpurgenſis imperium ſibi poſteriſque eo validiùs firmarunt, quo fortiùs in pietatem incubuerunt. regumque ante alios Deo cariſſimus Dauid omnibus exemplo præit. hinc illa toties in pietatis præmium repetita Domini verba: *Propter Dauid ſeruum meum*, poſt immania ſcelera ignoſcentis & parcentis regibus & Iſraëli. cùm contrà impietas igneos meruerit imbres, vt nuſquam iam Sodoma & Gomorrha, paradiſi æmula dum pietas ſtaret. acceſſit impietas, & regio exin nulla, & cinis omnia, adeoque & ipſum mare de vicinia mortem ex impietate bibit. Euenit idem regibus, Pharaoni infelici vndarum concordia, fluctibus cum exercitu inſepulto; Antiocho minas in Dei populum ſpiranti; Herodi poſt gratas adulantis populi blaſphemię voces, vermibus hîc impietas repreſſa. Iam Nabuchodonoſori cùm diuinos ſta-

ſtatuæ honores imperat, fœno, vnguibus, capillitio, beſtiæ non homini, quæ eripuerat impietas ſceptra, pietas reddidit. Manaſſen verò non impietas regno exuerat, vinculis induerat? exemit compedibus, regnoq́ue pietas dedit. Sennacherib & blaſphemum Rapſacem, & impium Nicanorem quis ignorat? quis Heliodorum & flagra? quis Holofernem in muliebri dextera? quis Siſaræ & Abimelech in imbelli feminea manu? quis in Iezabel canes? in Danielis accuſatoribus leones? quis in ſemine Ieroboam, Baaſa, Achab, & tot regum Iſraël, impietatem in nepotib. vindicatam? Quòd ſi Chriſtiana intueamur imperia, tela videmus in Iuliano, ignes in Valente, viuam defoſſionem in Zenone, famem in Baſiliſco, in Anaſtaſio fulmina, præſectas in Heracleone nares, exempta in Philippico & Michaële lumina, Maximum in Theodoſiana cuſtodia, Phocam manibus pedibuſq́ue truncatum, Leontium equis raptatum, Murzyphilum minutatim conciſum, mulierum etiam manibus Andronicum Comnenum. ita ferè non patitur impietatem diu impunitam

 Deus,

Digitized by Google

Deus, nec irremuneratam pietatem. Prima ergo Principi, Dei cura, inde regni & ſuorũ. & exemplo ipſe præeat, ſi ſequi ſuos volet. Benè Plinius: *Vita Principis cenſura eſt, eaq; perpetua. ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus, quàm exemplo.* Hinc audet Cic. *Quales in republica Principes fuerint, tales erunt & ciues.* audet & Claudianus felicitatem ſub pio Principe extollere:

Nuſquam libertas gratior exſtitit
Quàm ſub rege pio.

vera nimirum libertas, quam vnam Chriſtianus vouere debeat. nam illa ſcelerum licentia ferè cultores ſuos in medio improuidos curſu ſorbet: vt liceat dicere, Rara felicitas pio Principi ſubdi; infelix conditio impium pati dominum. aut enim morum illius æmulus audebis eadem, & periſti; aut damnata eius impietate, pietatem coles, & gratia & fortunis excides. ſors dura in eum locum redigi, vt aut impius eſſe debeas, aut diſplicere Principi. vt nimis verè Plinius: *Vt in corporibus, ſic imperio, grauiſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur,* à nobiliſſima & principe parte, cuius nihil occultum eſſe poteſt. Monet

net Seneca: *Tibi non magis quàm ſoli latere contingit. multa circa te lux eſt, omnium conuerſi ſunt oculi.* In imitationem maximè. Vnde illud: *Habet hoc magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum eſſe patiatur. Principum verò non modò domus, ſed cubicula ipſa, intimoſque receſſus recludit, omniaque arcana, noſcenda, fama proponit atque explorat.* Priuatus tegere improbitatem poteſt; Principum dicta factaque omnia ex edito proſpectanda proponuntur, nec magis abdi quàm ſidera cælo poſſunt. quo magis adnitendum ne duces ſuis ad impietatem fiant, trahantque exemplo in interitum quos debebant in ſalutem. ne delicto tantùm ſuo, ſed ſuorum rei iaceant. vt quibus exemplo præiuerunt in ſcelera, eorum pœnis ſocientur. niſi quòd magis illæ ſæuiant in auctores, bis reos, ſuo & ſuorum delicto: quare & bis æternùm ſua & ſuorum pœna miſeros.

Iam ſi amorem ac venerationem ſuorum Princeps deſideret, pietatem induat. nam, vt plurima deſint, ſteterit tamē Principi ſua in Deum pietas, neſcio quã excuſationem mereatur. vt vna quaſi pietatis ſpongia

deleri reliqua minùs probata videantur, aut plurimùm ſanè minui, tanquam ſi venuſtis coloribus carioſam tabulam integas, aut nobilibus aulæis, in quibus docta manus & ingenium luſerunt, ruſticum parietem veſtias. quid? quòd Deus piorum amator, conatus ferè proſperet, felicibuſque non rarò euentibus, minùs fòrs prouida conſilia claudat? cùm enim pientiſſimus quiſque magna plerumque feratur in Deum fiducia, proſperoſque ſucceſſus non induſtriæ aut ſapientię ſuæ, ſed diuinæ bonitati adſcribat, ſolet fiduciam hanc Deus fortunare. audet homo ſperare? ſpem ſuperabit Deus. audet preces tanquam ſemina iaculari cælo? vberiore meſſe fœcundabit vota Deus. Quòd ſi quis prudentiæ ſuæ admirator, ingenitæ adnatæque ſibi virtuti, nobilitati, potentiæ, robori, ingenio, ſecunda quæque tribuat, Nabuchodonoſorem, Baltazarum, Sennacherib, Goliadem cogitet; eruditione etiam primos Tertullianum, Origenem; prudentiæ primos Adamum, Salomonem, & vtriuſque à muliere lapſum, illius etiam delictum in omnes, pœnam in omnes; fidei etiam propugna-

gnatione magnos, Hoſium Calaritanum; ſanctimonia & portentis magnos Paulum, Iacobum, Ioannem eremi cultores, & omnium in femina fatuam fiduciam; Iudam deinde Apoſtolatus prærogatiua magnum, Nicolaum populi delectu & Apoſtolica dextera Stephano æquatum; pietate verò primos Moyſen, Dauidem, Petrum; ille in eductrice aquarum petra diuinis ſponſionibus diffidit, ſecundus adulterium nece funeſtat, tertius in ancillulæ voce negationem periurio firmat. Dei denique delectu magnos Saulem & Ieroboamum, & infeliciſſimum vtriuſque exitum, illius in ſe & filijs, huius in genere vniuerſo, vt nulla iam poſteritas in Iſraël Ieroboam, nulla etiam in Baaſa & Achab.

Iam nobiles pietatis ductu triumphos quis ignorat? Abrahamum trecentis decem & octo vernaculis, quatuor reges fundentem legimus. non arma hos, non miles, pietas fudit. Moyſe manus in oratione protendente Amalecitas vincit Iſraël; laſſas remittente, vincit Amalec. nullum hîc Iſraël ſtrauit hoſtem, pro ferro Moyſis fuerunt preces.

Digitized by Google

Iam illa Ioſue verba fiduciæ plena: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. ſteteruntq; ſol & luna donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Quis non admiretur? omnia hîc magna. obaudiſſe cælum homini, ſtetiſſe ſidera, lapides pluiſſe, vt pro milite lapis de cælo Iſraëli eſſet in vindictam, Amorrhæorum reges quinque, plebeio pede calcatos, in crucem denique actos. Ionatham verò & armigerum illius per montium decliuia reptantes, & in conſanguineo ſanguine Philiſtæum ferrum, quis niſi Deus prouocaret? Dauidem qui legit, & in illo Moabitas, Ammonitas, Syros, Philiſtæos, validam vbique gentem non magna manu ſubactam, quis non plus pietati quàm manibus & ferro tribuat? Qui ſub Ezechia nocte vna centum octoginta quinque millia poſt blaſphemas Rapſaces voces in exercitu Sennacherib cecidiſſe meminit; plus regem ieiunio, cilicio, precibus quàm manu pugnaſſe perfacilè videbit. Iam in Gedeone trecentis nec vltrà ſtipato, centum viginti millia in caſtris Madian deſiderata, regeſque Zebee & Salmana, cum quindecim armatorum

torum millibus deletos, non prodigio ſimile? de cælo, non de trecentis victoria hæc venit. Quale autem illud Samſonis in aſini fortuita mandibula, cùm reliqua deeſſent arma, mille Philiſtæos cædente? cæli, non mandibulæ victoria fuit. Machabæos autem qui cogitat, non tot portenta quot prælia videt? nulla propè manu tot potentiſſimorum regum, tot fortiſſimarum gentium, tot orbe primorum ducum victores. iacent Gorgias, Lyſias, Timotheus, Nicanor, Apollonius, validiſſimorum omnes exercituum ductores. Et non armatorum centum viginti millia à tribus Iudæorum millibus Antiochiæ cæſa, quæ ſubſidio Demetrio regi ſubmiſerat Ionathas? qui maiora etiam auſus, duobus tantùm ſociatus, in campo Aſor reſtituit pugnam, ſocioſque dilapſos, ad prædam magis quàm ad bellum vocauit.

Non egrediamur Iſraëlem. vidimus Dei & pietatis cultores, videamus deſertores. vidimus in illis virtutis præmia, videamus meritas impietatis in his pœnas. Delectus à Deo

Ieroboam Iſraël iam dux, non Salomonis ſeruus, diuini cultus neglector, in poſteris à Baaſa exſcinditur, nec domus iam vlla præuaricatrix Ieroboam. ita in ſemine impietas reciſa: Baaſa verò impietatis Ieroboami æmulus, in Ela filio pari infelici in omnium poſteritatem excidio ſternitur à Zambri. Erigitur exinde in regē Amri, à quo Achab impietate & Nabuthæ cæde & vinea notiſſimus. cuius filius Ioram cum ſeptuaginta fratribus, & quidquid Achabitici ſanguinis erat, à Iehu funditur, etiam Iezabel canibus in pabulum. tantum impietas potuit, vt in filios & nepotes, & quidquid erat generis, vltor ſæuiret gladius. Secutus impietatem Ieroboam Iehu, ſecuta & in nepotibus pœna, cùm Zachariam Sellum occidit, hunc Manahem, huius filium Phaceia Phacee Romeliæ filius, Phacee Oſee, quem captum Aſſyriæ rex cum vniuerſo Iſraële impietatis in regibus cultore, ducit in Aſſyriam. nec vltrà Iſraël Paleſtinæ cultor. meruit hoc impietas, & diuini cultus neglectus.

Chriſtianos verò quis recenſeat? laſſatur

tur numero calamus, cùm nobiliſſimos è ferociſſimis hoſtibus actos triumphos vnà pietate duce videmus. Quis magnnm Conſtantinum in Maxentio neſciat? crux illi aquilæ fuerunt: qua vna hoſtibus animos ademit, ſuis dedit. quis in Licinio Gallicanũ? qui Ioanne & Paulo monitoribus, cùm ſe voto Deo obſtinxiſſet, hoſtem fregit, victoriam retulit, imperium Conſtantino firmauit. tantum in cælo iaculata vota potuerunt omnibus armis validiora: neque enim fregerunt Liciniũ arma, fregerunt vota. Quid magnum memorem in Eugenio Theodoſium? cui Martyrum monumenta imperatorijs ſtagnantia lacrymis, orationibus pulſata pro armis fuerunt. cùm enim in præferoci hoſtium procurſu, ſuos inferiores ſenſiſſet, proiectis armis, inualido munimento, flere purpuram docuit, terram verrere: inde ſupplici ad Deum dextera ventos euocauit, qui nouo orbi prodigio hoſtica in iaculatores ſuos retorſerunt tela. ſtationem olim elementis Ioſue imperauit, Theodoſius noſter precibus ventos in ſubſidiũ euocauit, quorum famulatu, eadem qua venerant via tela

re-

Digitized by Google

redirent: inde armatus Eugenius in exarmati Imperatoris manum venit. pro lorica & armis, cilicia, preces, lacrymæ Theodoſio fuerunt, pro milite Deus. quid nouum Deo pugnante vincere? Illud etiam in eodem magnum, cùm S. Senuphij baculo pro ferro, ſuperhumerali pro galea armatus, Maximum nullo ſuorum ſanguine ſternit. Quid Heraclium referam, Coſrhoe, quamdiu ferro imperium propugnat, ſupplicem? at vbi ſe ſuoſque ieiunio & precibus armauit, ter victorem, tribus fortiſſimis Perſarum ducibus, ipſoſque demum rege fuſo & cæſo, pacemque exinde ſupplici filio dantem, qui petierat, legimus. Beliſarium Wandalorum cædibus ſola pietas magnum, ſola Epiphanij Epiſcopi benedictio Perſarum victorem fuſo Mirrhane dedit. Narſes verò Iuſtinianei ductor exercitus, Dei matris monitu Gothorum Regem Totilam, cùm, vtroque imperio Chriſtianorum cædibus fatigato, Occidentem Orientemque tantùm non in triumphum duceret, fregit, ferociam repreſſit; & ſuperba pio Eunucho colla ſubdere docuit. Quid non pietas

poteſt omnibus validior armis? Catacalus Michaëlis Conſtantinopolitani exercitus ductor, ſacrato Chriſti Corpore cũ ſe ſuoſque firmaſſet, Saracenos Sicilia expulit. inſederat nobiliſſimum regnum, & miſera premebat ſeruitute, & ſuum iam fecerat gẽs impia, idolorum famula. deſperauerat armis Catacalus validè vbique firmatam gentem frangere. fregit ſacratiſſima Dominici Corporis ſumptione: qua hoſti exitio, ſibi ſuiſque pro ferro & milite fuit. Illud etiam memoria digniſſimum, cùm Ladislaus Poloniæ Rex Ruſſos oratione ſola vincit adeſſe Rex debuerat, & educere ſuos, dux milites, ac exemplo ad audendum præire. præiuit pietate. templum ingreſſus alliditur terræ, lacrymis pugnat, & expugnat abſens hoſtem. prece ergo exercitum abſens ducebat; imò preces piæque regiæ lacrymæ exercitum ducebant, Polonos tutabantur, hoſtem profligabant: plus proinde abſentis preces & lacrymæ quàm præſentis arma potuerunt. Hoſtem Boleslaus ſuis caſtiſſimæque coniugis Scingæ precibus abſens frangit & fugat. caſtæ lacrymæ quid

quid non poſſunt, etiam in femina? plus ſanè his quàm ferro ceſſêre Ruſſi. digna omnino res quę eat in poſteritatem. indomitam gentem & nullis armis ceſſuram, caſtorum coniugum caſtæ domant lacrymæ. tam mollibus cadunt arma: nimirum tam validè pluunt pietatis nubes, vt ferrum, & duriora ferro pectora, ad hunc imbrem colliqueſcant. Pulcrum illud, cùm Henricus Auceps Imperator Hũgaros acerrimos fidei hoſtes, non telis, ſed inclamante ante pugnam vniuerſo exercitu *Kyrie eleiſon*, in fugam vertit. inde conſueta hoſtibus pendi vectigalia, vertit in pauperes: quo teſtatius orbi eſſet, cuius dextera victoria ſtetiſſet. Magnificum illud, cùm ſub Ioanne Comneno Deiparæ imaginem, triumphali curru ſublimem Oriens vidit, Imperatoremque Chriſti cruce victricis ſuæ imaginem cohoneſtantem, ingenueque fatentem, Scythas ſe præualidam gentem, cùm humana deeſſent, Dei matris ope viciſſe. Nouum nec vllis retro ſæculis auditum Wenceslai Bohemiæ Ducis. arma in hunc Radislaus Gurinenſium Princeps mouerat, & vtrimque exercitus ſtabat. cùm

Bo-

Digitized by Google

Bohemiæ Dux inſontem vtrimque populum miſeratus, Radislaum ad ſingulare certamen prouocat: lætus ille decretoriam imperij conditionem accipit. prodit Wenceſlaus cilicio tectus, cui loricam iniecerat, dexteram gladius armauerat, magis etiam crux, cuius ſigno ſe muniuerat. ac Radislaus cataphractus, animis viribuſque fidens, præualidam haſtam, fatale telum, toto cominus corpore intorquebat, cùm ſubitò cælo vox data: *Ne feri.* ſtetit attonitus Radislaus, inde arma proijcit, pedibus denique Wenceslai ſternitur, victorem agnoſcit, audaciæ veniam deprecatus; irruit in ſupplicis ex hoſte amici amplexus Wenceslaus. Exinde vtriuſque exercitus gaudium, quoque maior in cognato, vt fit, populo iræ exarſerant, hoc lætitia maior. plus hîc cilicium quàm arma valuerunt. Illud audax, cùm Pelagius immortale Iberiæ decus, Machabæorum æmulus, antris antè & ſpeluncis aſſuetus, paucis ſuorum ſtipatus, hoſtili magis quàm ſua voluntate ire in prælium cogitur, innumeris propè victorijs ferocientem Maurum vinci poſſe oſtendit, Hiſpaniamque Chriſtiano

ſan-

Digitized by Google

ſanguine mœrentem, Maurico natare docuit. plus pietas hîc quàm arma valuêre: hæc animos Pelagio addidit, hoſtibus ademit. Cuius veſtigijs Alphonſus inhærens, nihil imperuium pietati commonſtrauit, auſus ſolus hac vna tectus hoſtilia luſtrare caſtra, conſilia rimari, victoriæ viam ſternere. Eadem diſcimus in Ramiro. non vicit hîc Hiſpanus; ac neſcio an pugnauerit, ſed neque Ramirus duxit in hoſtem, duxit magnus Chriſti Apoſtolus Iacobus: hic dux & miles, cuius ductu ac dextera innumera propè Maurorum manus cadit. Dei ergo opem ſupplicibus dum implorat votis Ramirus, Dei opem in Apoſtolo expertus, nobile poſteris exemplum reliquit, de cælo auxilia venire ſi de cælo poſcas. Eadem etiam habes à Ferdinando Rege, qui Sancti nomen meruit. quo quinque & triginta annis piè feliciterq́ue imperante, nullam Hiſpania annonæ caritatem, nullum peſtilentiæ morbum, nulla niſi fortunata in Mauros arma vidit. debuit hoc Hiſpania tanti regis pietati, qua vna ſtetit, vna floruit. florere æternũ poteſt, ſi pietas illi pro lorica, clypeo, ferro, duce,

mi-

Digitized by Google

milite. Succeſſit Ferdinandus Quintus Iſabella coniuge, quorum pietate, non armis exactos tandem Mauros Hiſpania agnoſcit. maluerunt ærarium minui pij Reges, quàm perfidæ gentis vectigalibus creſcere. quanquam pietatis hæc dona, in illis ac poſteris diuite dextera remuneratus ſit Deus, noui nimirum orbis incremento, dicam, vtriuſq; propè orbis feliciſſima acceſſione: vt latiùs pietas ſigna quàm vlla Romanorum aut Macedonum arma protulerit. ignorabant alterum orbem arma, pietas inuenit & dedit. Claudo in Habsburgenſi Rudolpho, qui Auſtriacum genus Oriente Occidente toto, vnâ pietate extulit, vnâ firmauit, tam latè imperantem, vt ijſdem propè terminis quibus ſol lumina, imperium clauderet. vndecim ex eadem gente Imperatores ſtetiſſe pietati magis quã armis debemus. Surrexit è pio hoc ſemine germen nobile Carolus, quẽ in Saxonica pugna, cũ Chriſti de cruce pendentis effigiem, impio ab hoſte glande traiectam vidiſſet, proruпiſſe in hæc verba aiunt: *Vlciſci hanc iniuriam Chriſte potes.* protẽdenſq; dexteram lacrymis lotam. *Hac*, ait, *vincere*

Chri-

Christe potes. & ſecuta victoria eſt, hoſtiumq́; duces in Cæſaris poteſtatem venerunt. Sunt hæc veræ pietatis non obſcura documenta. erant alia. ſed pauca hæc ſeligere placuit, ne faſtidio prolixitas foret, &, quæ accendere in imitationem lectoris animum debebat, laſſaret. ita ferè optimorum etiam copia nauſeam prouocare ſolet. mediocritas ſemper laudata, quæ & famem explet, & ſitim reſtinguit, & faſtidia ignorat.

Pietatem ergo Superior colet, Deum reuerebitur. hic latus illius claudet, huius ſigna miles ſequetur, monitis inhærebit, imperijq́; ſui illi habenas committet, gloriæque illius propagandæ totus incumbet. cui gratus omnis lætuſque ſanguis fluet; ſed & ſanguinem vitamque ſacrabit Deo, à quo ſolo fortunata infortunataque imperia naſcuntur. Et quis non imperitus Scripturarum ignoret Antiochum, Iezabelem, Holofernem, Rapſacen, Nicanorem; quis Dauidem, Ioſaphatum, Ioathan, Ezechiam? quorum exempla terrere & animare nos meritò in fugam & ſequelam debeant. non ſtetit Iſraël hoſtibus terror, populorum victor, regum

do-

domitor, quamdiu vnius Dei cultus ſtetit? non hoc labante Babylonica, Aſſyria, Ægyptia, Græca, Latina vincula, ſeruitutem, exilia tulit? nō quoties in ſacco, cinere, ieiunio delictum abſterſit, Hieroſolyma & regnum rediit? non repetito diuini cultus neglectu, redierunt exilia, carceres, & tanquam ſilueſcentis agri detonſor gladius, donec promiſſarijs exuti ſedibus, lacte & melle fluentibus, orbem inerrarent, nullius loci incolę, omnium ſerui? Iam Iuda, quibus non iactatus terris, quorum non regum pedibus calcatus, quorum non gentium enſes hebetauit ſanguine? & à ſolius Dei diuinorumq́ue neglectu hæc mala. ſtetit inuictus hoſtium Gentiumq́ue domitor, quamdiu intacta ſtetit fides: vbi Gentium numina aras & lucos inſederunt, nihilo Iſraële melior, omnium ſeruitutem & vincula paſſus, qui omnium diis famulatus fuerat. Eadem in Chriſtianis Imperatoribus reperies, in Galliarũ, Hiſpaniarum, Poloniæ, Angliæ Regibus. ac vbi lapſa pietas & magni Numinis veneratio reſedit, florentiſſimorũ deliquia regnorum vidimus, vt quantum pietas, tantum

regna creſcerent decreſcerentq́ue: paribus nimirum paſſibus ſurgentibus & decreſcentibus cum pietate regnis. Nec mirũ hoc videri cuiquam poteſt. quis enim neſciat cælo regna dari, cælo venire? Iſraël nos doceat. Iã quis illa ab alia manu dari, ab alia foueri pius dixerit? eadẽ ergo quæ dedit dextera fouet. pio dedit, pio fouebit, derogabit impio.

Sciebant hæc non infimi Regum, qui cùm viderent raram eſſe pietatis & diadematum ſociationem, ſceptra poſuerunt. Factum ab Imperatoribus, Anaſtaſio II. Iſaacio & Manuele Comnenis, Lothario Ludouici Pij filio, Bamba Hiſpaniæ Principe, Ethelredo Merciorum in Anglia Rege, Rachiſio Longobardorum: qui vitæ reliquum vni Deo, vni pietati dederunt. cælo iam reges, quia terris eſſe noluerunt: cælo magni purpuraq́ue clari, quia magnitudine ſe hîc purpuraq́ue exuerunt. prudentes animæ, quæ Chriſtum ſuum imitatæ, de ſimilitudinis hîc prærogatiua, etiam de cælorum fuerunt, eo feliciores, eo beatiores, quo peritura æternis mutarunt, pluſq́ue eductas Ieſu ſuo vertice gemmas, quàm regum frontibus

inter-

interlucentes adamarunt. Pietas ergo hîc ſceptra & diademata poſuit, eadem cælo dedit: tanto ibi melioribus, quanto perituris æterna potiora. eadem proinde manus quæ hîc nudauerat veſtiuit cælo, non veſtitura, niſi hîc nudaſſet, vt hîc nudaſſe ibi veſtiſſe fuerit. beata nudatio, quæ tam diuite purpura veſtit, nullo æuo ponenda!

Quòd ſi ſacrorum Ordinum initia & incrementa intueamur, floruiſſe illa quamdiu Dei apud eos cultus & veneratio, reperiemus. at vbi laxata laſſataque pietas, ceruices ſocordię flexit, emarcuit color optimus, qui in ſtuporem propinqua remotaque regna dederat: omniſque prior venuſtas, quæ gentium quaqua oculos exſciuerat, ora laxauerat, prouocauerat calamos, decolorata & ambuſta iacuit, ludibrium pro admiratione facta. quid? quòd pietate labaſcente; omnia ſimul vitia pro virtutibus ſuccreuerint. Non clauduntur eodem contubernio virtus & impietas. neglectior iacuit diuinorum cultus? omnia ſimul cum neglectu, tanquam perruptis, quibus arcebantur, aggeribus, vitia intrarunt. non intraſſent,

 ſi pie-

ſi pietas Religionum propugnatrix ſtetiſſet. non ſtetit, & tepor quidam occupauit animos, inde luxus & conuiuia, & luſus Iſraëli in interitum notus. mox roboris vniuerſi conuulſio, nudataque defenſoribus propugnacula, inferorum legiones exceperũt, & ſeruire illis didicerunt qui imperauerant; iugum ferre qui tot nobiles, dum ſtaret pietas, triumphos egerãt. ita integra pietate inuicti ad vnius ſæpè ancillulæ vocem, ad deliciarum nomen, ad honorum opumque ſponſiones corruunt, fabula facti qui terror erant.

Quid? quòd plerique ſacratorum Deo Ordinum in vno diuinorum cultu ætatem ponant, omniſq; illis labor in ſolius Dei veneratione abſoluatur, illi noctes, illi eant dies, vt nec ſoles illis, nec ſidera ſurgant aliis. ſunt qui proximorum Chriſti ſui exemplo ſaluti dum in cumbunt, primam tamen gloriæ ſuæ partem in diuini cultus veneratione ponunt. quo maior his omnibus neglecti cultique Dei ratio habenda, quia & reddenda. Et certè quid erit Religio ſi pietatem ſuſtuleris? viduatum ſtellis firmamentum,

tum, cælum ſole ſi quis dixerit, parum dixerit; nox mera erit, & Ægyptiis denſiores, quia ñocentiores, tenebræ.

Iam qua erit pietate in ſuos Superior qui illam exuerit in Deum? aut quo calore feretur in ſibi concreditos, qui refrixerit in Deum? tepuit in diuinæ pietatis ſtudio, gelaſcet in ſuorum: & pro pio, ſæuum, aſperũ, moroſum, crudelem ſe etiam exhibebit. vbi enim pietatis viſcera languerunt, miſeratio intepuit, & denſum quoddam frigus intima occupauit; proſiliunt ea quæ internum hoc gelu comitari ſolent, vultus ſeuerior, deiectior frons, moroſior ſermo, alienior animus, ignaruſque miſereri, neceſſariarum exinde rerum ſubtractio, nulla ſenectutis veneratio, nulla interiecta laboribus quies, nulla ægrorum cura, nullum languentium aut ſub onere fatiſcentium leuamen, nulla virtutum incitamenta, nulla ſudorum præmia. Hinc cùm nulla tangatur miſeratione Superior, mœroribus domum implet, & in ignauo otio conſeneſcentes ſuos ac triſtitia demum contabeſcentes videre cogitur. Patitur deinde talis alieniſſimos ſuos, cre-

creſcenteq́; à neglectu indignatione, acerrimos hoſtes: qui inimicum hũc animum ne cum imperio quidem illius exuent. manent odia etiam munere depoſito, ac ne cum vita illius deponuntur: tam altè inſederunt, vt etiã in cætera bonis, prẹteritorũ memoria nõ deleatur. ac licet animus piarũ exercitationum aſſiduitate nõ rarò cõponatur, manẽt tamẽ ſeuerioris imperij impreſſa quẹdã mẽti veſtigia, quæ nulla arte conatuq; extriueris.

In externis etiã pietas perit, quæ à diuinorum pietate & cultu, tanquam à ſcaturigine ſua flumen defluit: qua languente aut emortua quid de flumine ſperes? eadẽ hîc cogita. deferbuit & elãguit pietas in Deũ? etiam in proximum; decidua nimirũ pars diuinẹ pietatis. Et ſanè neſcit cõpati à quo exulat pietas, fugitq́ue in proximorum ſalute labores quiſquis miſereri neſcit. Laborum fugã procurandẹ ſalutis neglectus comitatur: cumq́; illa tenerum quemdam animorum affectũ depoſcat, hunc verò neceſſum ſit à pietate, tãquam torrentem à ſuo fonte promanare; quiſquis hanc ſecuerit illum ſuſtulit. & quid ſine propẽſiore affectu ſperes? aut quomodo moleſtias quẹ ſalutem ferè proximorum

comitantur, ſuperabis amore deſtitutus? labores autem quis emolliet ſi alienior aut retractior animus, aut faſtidienti ac nauſeabundo ſimilis? alacritatem ſanè indefeſſamque mentem, ſudoribus gaudentem, quamque impinguet actus in orbem labor, roborent dura, firment ardua, imperuia & è pręcipiti pendentia accendant, cuique ab vltima deſperatione vires animíque creſcant; ſolus amor, pietatis in proximorum ſalute, fœcunda progenies dabit: hunc verò ſola in Deum pietas largietur. qua qui caruerit, nihil magnum & Religioſo dignum promittet, nec ſperatos cęlo manipulos inferet, nec optatam horreo Dominico meſſem.

Quid deinde pronius quàm domeſticorum iuxta externorúmque contemptum pati? ſemper in laude pietas fuit; ſemper contempta impietas iacuit. illam admirati, etiam qui nō ſecuti: hanc & ſectatores damnarunt, in aliis ſemper, in ſe etiam non raro: ita quæ ſequebantur, damnabant ſi propiùs interrogarentur. tanta vis veri eſt. In Religione verò eo magis impietas damnata, quo quidquid in illa ſperari domi foriſq;

poteſt magnum, ab vna pietatis dextera ſperari debet: vt hanc qui ſuſtulerit, quidquid erat opinionis in illa bonæ, quidquid integritatis, ſpei, gloriæ, exciderit. Neque fides iam vlla, diffidentiam impietas peperit, infelicis ſobolis infelix mater. nō ſpes ſalutis, nulla ſalus impietatis incude & malleis procuditur. nullæ æternorum ſponſiones, quæ ab impietatis radice nunquam & nuſquam pullulant. nullus diuinorum amor, non enaſcitur hic ab impietatis ſemine. nulla dilecta Deo virtus, cui inimica impietas. nulla cælo merces reponenda non exſurgunt hęc grana ab impietatis ſpica & culmo, nec meſſis vlla ab illius area cæleſtibus infertur reconditoriis. nulla vina virgines germinantia aut ſpiritali inebriatura ſucco, nullas vuas impietatis vinea dabit, dabit labruſcas; nullum illius torcularia muſtum, abſinthium in interitum propinabit.

Fugiet proinde quidquid impietatem ſapit prudens Superior, eliminabitque domo quidquid diuini cultus venerationem minuit, quidquid illius colorē infuſcat, quidquid aliorſum ducit: inſurgetque generoſo

conatu

conatu in pietatis augmentum, ſi ſe, ſi domum ſuam ſaluam volet, ſi domeſticam pacē amat, ſi Religionis nomē bonum, ſi plurimorum ſalutem, ſi rerum etiam temporalium proſperiores ſucceſſus. ſimul enim atque inſonuerit pietatis nomen, prouocabit non in laudem tantùm, ſed & in ſequelam & munificam largitionem plurimos, in admirationem etiam & commendationem hoſtes. neque quiſquam tam impius qui non lubens ſe ſuáque credat viro pio, qui non vltrò illius amicitiam ambiat, qui non beatum ſe illius imperio arbitretur; qui non magis hùnc ſibi Superiorem deligat, quàm impietatis ſuæ ſocium, aut imitatorem. ita impietas ſibi etiam diffidens, pietati ſe ſuáque credit, certa de fide, ſecura de tutela, cùm hanc ſciat doli fraudiſque etiam in hoſte ignaram, nunquam fidem fallere, ſemper explere.

SVPERIORIS RELIGIOSI

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quale debeat eſſe Superioris in ſuos imperium.

IMperet ſuis vt imperari ſibi Superior deſiderat. nulla melior tutiorq́. imperandi regula, nulla prudentis gubernationis certior commonitio eſt. hęc illum ad omnem ducet manſuetudinem; iracundiæ motus frenabit; punitionis rigorem moderabitur; paternum parémque in omnes affectum inſtillabit; ægros, ſenes, laboribus fractos, hoſpites ſingulari beneuolentia proſequitur ac fouebit; politiciſmum & ſimulationem tollet; ſubita minúſque deliberata imperia, & à primis motibus proſilientia

ſilientia componet; facilem omnibus quocunque tempore aurem præbebit; pericula depellet, damnáque minitantia, vigili prouidaque cura euertet aut auertet. nam ſi occurſantibus difficultatibus ac in imperandi neceſſitate, perpetuò hæc in mente habuerit: Rege vt regi voles; non facilè ad emendanda aut damnanda deſcendet vir religioſus. potentes enim illæ in primis cogitationes ſunt, & religioſæ moderatæque gubernationis magiſtræ: Tibi quid in ſimili re à Superioribus imperari velles? quibus moneri verbis, quibus in delictis corripi? quibus in laboribus animari? quibus in veſtitu, victu, ægritudine, reliquiſq. corporis commodis religiosè haberi ac foueri? eadem aliis præbe. Benè in rem noſtram Chryſoſtomus homi. 13. ad popu. Antiochen. *Non opus eſt multis ſermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina: voluntas tua ſit lex; vis beneficia capere? confer beneficium alteri. vis miſericordiam conſequi? miſerere proximi. vis laudari lauda alium. vis amari? ama. vis partibus primis potiri? cede illas prius alteri.* Et Ambroſius libr. 2. Offic. c. 7. *Quid tam inſitum naturæ quàm vt*

diligentem diligas? quid tam inolitum atque impreſſum affectibus humanis, quàm vt eum amare inducas in animum, à quo te amari velis? Verbo vno Seneca: *Vt ameris, ama.* amor enim amorem generat. vt *ferrum ferro*, Chryſoſtomo teſte, *acuitur, & lapides inter ſe contriti emittunt ignem*; mutuarum beneuolẽtiarum colliſio, amoris flammas excitat, prouocatq́ue in mutuos ignes. Hæc qui fortiter apud animum ſuum obfirmauerit, non facilè iuſtam reprehenſionem incurret, aut in pœnitenda ſibi corporiq́ue vniuerſo labetur.

Varios deinde humanarum rerum caſus apud animum ſuum reputet: ſeq́ue illorum qui patiuntur aut petuntur loco ſtatuat. mẹroribus aliquis inſepultus iacet, doloribus opprimitur; ægritudo ſiue illa animi, ſiue corporis, hominem totum occupauit; languor quidam ſiue mentis, ſiue membrorum omnium, animo viribuſq́ue deſtituit: faſtidium ac quædam ſpiritualis nauſea pectus obſedit; tentationibus quaqua parte potentibus pulſatur, ac quaſi arietatur; hoſtiliq́ue in omne latus animo, tanquã armatis in circuitũ exercitibus validè impetitur; domeſti-

cæ

cæ è quacunque cauſſa natæ exurgunt æmulationes; ſubdoli delatores, graueſque accuſatores ſiue animo prauo maloque, ſiue è nudis ſuſpicionibus tanquam rabidi canes vndique inſiliunt; falſi criminatores tanquam efferæ beſtiæ dentibus ſæuiunt; ſimulati amici, veri hoſtes, dolis ac fraudibus innocenti inſidias ſtruunt? ſe cogitet, ſeque ipſum intueatur ac circumſpiciat Superior. quid irruentibus hiſce ſimilibúſue malis, concedi fierique ſibi à Superioribus vellet; quibus verbis ægrum animum componi; qua paterna medicaque manu remedia adhiberi, morboſque pelli aut curari; quibus moleſtias tædiaque leuari ac mitigari modis; qua ſpongia nocitura abſtergi; qua minitantia damna periculaque prouida cura anteuerti vellet; iiſdem in ſuorum malis, remedijs vtatur, pari prudentia, moderatione, benignitate, manſuetudine, affectu, ſolatio, animatione. Se proinde in omnibus aduerſis à quocunque ingenio manuque natis, inferioris ſui loco apud animum ſuum cōſtituat, eadem per omnia ſuis adhibiturus quæ admoueri ſibi à Superioribus in pari

 fortu-

Digitized by Google

ſortuna optaret. nec à vero aberrabit. Greg. paſto. p. 2. *Ex ſe ergo debet vnuſquiſque colligere, quatenus alienæ hunc oporteat imbecillitati miſereri: ne contra infirmitatem proximi, ſi ad increpationis vocem feruentius rapiatur, oblitus ſui eſſe videatur. vnde benè Paul.* (Gal. 6.) *admonet: Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Quarum omnium frequens conſideratio magnam non prudentię tantùm opinionem, ſed prudentiam illi parabit: intempeſtiuos ac præproperos feruores ſapientiæ inimicos mitigabit: ſubitos improuidoſque in exequendis rebus calores, prudentiæ hoſtes ſiſtet: extemporanea conſilia maturitati aduerſantia reprimet: nullius in ſe animos temerè concitabit: nulli meritam detractionum ac oblocutionum materiam præbebit, aut iuſtę reprehenſioni aut indignationi cauſſam dabit. quin magis omnium ſibi mentes conciliabit, ſiue in imperio, ſiue ſolutus illo fuerit; amorémque ac venerationem aliorum ſentiet; laudem etiam ab æmulis. ſemper enim moderatio, ac in moderando maturi-

tas

tas ac clementia, etiam ab hoſte laudem reperit, gloriamq́ue promerita eſt. idq́; maximè depoſito imperio, cùm præteritorum memoria validius admirationem laudeſq́; excitare ſoleat, eoq́ue magis quo duriora aliorum imperia ſucceſſerint; tunc enim potentiùs ſubit recordatio priorum, extinctaq́ue æmulatione, imperiorum etiam manſuetiſſimorum ſocia, ſuccedit amor, & neglectorum deſiderium, eo ardentius, quo præſentium aſperitas magis extimulat, impellitq́ue in priorem benignitatem. nulla enim re magis manſueta clareſcunt imperia, amoremq́ue conciliant, deſideria prouocant, quàm immoderatiore inclemẽtioreq́; ſucceſſoris imperio. vt felicitatis cuiuſdam ſit ſucceſſorem habuiſſe ſeueriorem.

CAPVT II.

Par in omnes familiaritas.

CAuendum ne vni familiarior ſit quàm alteri, cùm priuatæ hæ neceſſitudines reliquorum à Superiore animos auertant, mur-

murmurationibus cauſſam præbeant, ſuſpicionibus domum repleant, diffidentiam ingenerent, diſciplinam in familiaribus hiſce laxent. cumque in hac familiaritate euenire ſoleat vt Superior liberiùs ſua tanquam in amici ſinum effundat, ac quædam nullo modo vulganda depromat; fit vt omnia amico concedenda ſint, ne alienior cõmiſſa cum Superioris rubore prodat. quod ſi fecerit, abit conceſſio in exemplum, & imitari reliqui volunt, quod vni permittitur. inde tota iam domeſtica diſciplina corruit, cùm pari iure quod cuique voluntas ſuaſerit, concedi ſibi ſinguli velint; aut ſanè ingens oblocutionum materia pateat. concedere verò, Religionem prodere & perdere eſt.

Et vt nihil ſit aliud, tamen poſtquam animi ſui ſecreta, vt in intima familiaritate fieri conſueuit, inferiori Superior commiſit; duriſſimum eſt perpetuò illum vulgationis metu percuti, ne qua data vel vltrò arrepta cauſa commiſſa prodat; ne qua è delicti, vt aſſolet, monitione, aut deſideratorum negatione offenſio naſcatur; è qua deinde

inde improuida indignatione, imprudentiq́ue circumſpectione, amicè concredita elabantur.

Et ferè poſt priuatas haſce amicitias, alienationes ac odia etiam iuſto Dei iudicio videmus. vnde ingens mutuarum detractionum campus aperitur, vt religioſæ tandem vitæ vix vmbra reliqua ſit. hinc ille demum vincit, qui fortiſſimè ac impudentiſſimè ſocium ab omni vel ſperatæ vel obtentæ dignitatis gradu deturbauit: qui ferè infelix & miſerãdus priuatarum neceſſitudinum harum exitus eſt. niſi fòrs aliquando virtutum, probatiſſimorumq́ue morum ſimilitudine coaleſcant animi, qui nexus eo potentior eſt, quo mutuò colligatarum virtutum validiora vincula ſunt.

Et tamen etiam in illis prudens Superior offenſionem vitabit. neque enim promptiùs quidquam quàm æmulationes inter eiuſdem contubernij ſocios, è quacunque etiam virtutum priuata neceſſitudine naſci. Fugiet proinde hos ſcopulos, nec illidet prudentiæ ſuæ ratẽ ad hæc breuia Superior, certus periculorum damnorumq́ue in non

vna

vna religione ex his initijs ſecutorum, certuſque leuibus his flabris, tanquam ſæuiſſimis Aquilonib. ingẽtes tẽpeſtates excitatas.

Amabit interim virtutum ſectatores, regularum, diſciplinæ ac inſtituti amantes: amorem tamen hunc ſinu pectoreque condet, continebitque properantem erumpere, ac fræna inijciet; ne, dum in vnum propenſiùs effunditur, neglexiſſe reliquos aut contempſiſſe videatur. tener enim omnis amor eſt, facilè in æmulationem ac indignationem exurgit, ac (D. Bona. de ſex alis, c.6.) *licet meliores in affectu præferendi ſint minoribus, & omnes propter ſpem ſalutis in Chriſto amplectẽdi ſint; in actu tamen exhibitionis exterioris taliter ſe gerat ad omnes, vt nullus ſe ab eo contemni propter alios ſuſpicetur; ſed quilibet ab eo ſe diligi præſumat, & fiducialiter ei quaſi ſingulari amico confidat, ne alicui indignatio & inuidia in aliis nutriatur: ſicut fratres Ioſeph, qui oderant eum pro eo quòd à patre ſingulariùs amaretur.*

Iam cùm omnes Superiorem intueantur vt patrem, haberi volunt vt filij. inter quos ſi prærogatiuam ſtatuas amoris ac beneuolentiæ cuiuſdam exterioris, reliquos in æmula-

mulationem accendis. Et verò, etiam morbidi filij ſunt, & plus externi affectus a ſollicitudinis ægritudo iure quaſi ſuo depoſcit. Quòd ſi etiã haberi Superior à ſuis vult pater, pari in omnes paterno affectu feratur, ac externa quadam amoris ſignificatione.

Neque tamen excludo in probatiſſimum quemque teneriorem affectum; ſed ne illum temerè & cum reliquorum indignationis periculo prodat: quod plurimum euenire ſolet. magis verò reprimat, & tanquam generoſum equum plana camporum montiúmque ardua, nemoráque meditantem, amico reprimat freno, ne in præcipitia imprudens labatur. neque enim ſatis eſt generoſum eſſe; prudẽtia accedat, niſi ingloriam generoſitatem velimus, quę ingenti auſu inchoata, infortunato claudat exitu.

CAPVT III.

Sedula infirmorum cura.

INfirmorum magnam curam gerat Supe-

perior, memor Sapientis: Eccli. 7. *Non te pigeat viſitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis.* Sæpius proinde illos per hebdomadam inuiſat & ſoletur. neque patiatur ſe vinci ab Imperatore. de Adriano enim Spartianus: *Aegros bis ac ter de die, & nonnullos Equites Romanos ac libertinos viſitauit. ſolatiis refouit, conſiliis ſubleuauit.* Non abſimilia his Plinius de Traiano, Lampridius de Tito. Adſit etiã non infrequenter medico præſente. Dici non poteſt quantum ea ſollicitudo ac paternus in ſuos affectus, & ægros ſoletur, & valentibus animos addat ad labores, cum videant tanta ſe cura à Superioribus haberi. effundat proinde omne paternum pectus, viſceraque matris in ſuos Superior, cùm aliàs, tum maximè ægritudinis tempore; nihilque deeſſe patiatur, aliquid etiam ſupereſſe; adhibeatque ea omnia quæ quoquo modo & ſolari ægrum, & ægritudinem leuare valeant, adhibitis etiam non indignis Religione recreationibus; exhibiatque ſe in omnibus (Bonau.) *patrem, non dominum; patronum, conſolatorem & medicum: nec reputet ſuos vt ſeruos emptionis, ſed vt filios hereditatis ſu-*

pernæ

pernæ conſortes: ſicut vellet ſibi fieri ſi ſimiliter indigeret.

Proſpiciat de Præfecto, qui condolere, pijs lætiſque colloquijs & *exemplis ex ſacra Scriptura, & probatis Eccleſiaſticorum hiſtoriis deſumptis, piiſq; colloquiis conſolari*, morborumque leuare faſtidia ſciat, quique ad hanc rẽ animum deferat promptum addictumque. De infirmario etiam vigili, diligente, hilari, ſuaui, quique hoc munus in beneficium reponat; non moroſo, difficili, ſordido; ne ex his inter corporis languores, animi ægritudo creſcat, duplicique prematur malo. hos etiam ad ægrum inuiſendum mittat, qui religioſis iucundiſque ſermocinationibus lenire morborum moleſtias nouerit. *Infirmus enim qui ſibimet ſubuenire non valet, eo ipſo amplius tribulatur, quia ab his à quibus deberet non conſolatur, non à miſeria releuatur, nec habet ſibi compatientem, iuxta illud propheticum:* Pſal. 68. *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inueni.*

Si quid offendat æger, non facilè graui morbo preſſum fortiter moneat Superior; in meliorem valetudinem monita ſeruet; aut

aut magna moderatione vtatur, quæ non tam ſerij monitoris aut iudicis, quàm affe-ctum oſtendat benigniſſimi patris: quin & viſcera vberáque expandat matris, morbó-que potiùs quã homini tribuat ſi quid pec-catum. quòd ſi vltrò culpam ſuam fateatur & deprecetur æger, minuat illam Superior, & valetudini maximam partem tribuat, in-que illam potiſſimam illius cauſam benig-niſſimis verbis conijciat. Per ſpiritualium e-tiam rerum Pręfectum aut domeſticũ Con-feſſarium ſuauiùs ſæpè molliúſq; hęc moni-ta cadunt: ac tanquam inſcio Superiore ma-lis remedia adhibentur, conſulitúrque ma-gis ægrotantium ac delinquentium pudo-ri: qui licèt in Superiore parentem agnoſ-cunt, iudicis etiam perſonam intuentur.

Ægrorum verò querimonias non triſti aut moroſo; ſed læto hilaríque vultu exci-piat Superior, faciléſque illis aures præbeat. non pauca concedat. lenibus deinde verbis mitiget, aſperitatem molliat, ac ſi quis iuſtus dolor ſit, remedia oportuna gratáque adhi-beat, prolixéque oſtendat rem ſibi concre-ditam cordi fore; ægrúmque ſuum ſoletur

&

& animet, diuitéque ſponſione recreet: magis etiam factis animum ſuum teſtetur. Leuior his modis fiet ægritudo, & pars magna mali tolletur. bene enim qui compoſuit animum, non infima parte morbum leuauit: læta namque mens, præſens medicamentum mali eſt; animíque hilaritudo, acerbitatem morbi, dolorémq; omnem ſi non tollit, temperat.

Sępè denique ægrum ſuum ſoletur, compatiatur, blandis verbis mulceat; vultu etiam mœrorem, malíque magnitudinem, dolorémque præ ſe ferat. Nazianz orat. 16. *Magnum* enim *calamitoſo remedium eſt miſeratio ex animo collata: vereq; ac ſincerè condolere, calamitatem magna ex parte leuat*. Sanè inter alia *commiſeratio magnam ad leuandum dolorem vim habet*. Diſcátque illud Apoſtoli (2. Cor. 11.) in ſe ſentire: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Et 1. Cor. 9. *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. quò faciliùs in ſe ſentiat illud Greg. Paſt. par. 2. c. 5. *Tunc ad alia caritas mirabiliter ſurgit, cùm ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit: & cùm benignè deſcendit*

Digitized by Google

ſcendit ad infima, valenter recurrit ad ſumma.

CAPVT IV.

Seniorum veneratio.

SEnes ac laboribus fractos veneretur ac colat, Ambr. 1. Tim. 5. *cùm apud omnes gentes venerabilis ſit ſenectus*; illorumque ſedulò neceſſitatibus occurrat, ac præuertat etiam roganda; paterneque vbique habeat, meminerìtque eos pro ætate, quantum Religionis moderatio patietur, indulgentiùs habere: vt ea cura & illos ſoletur, & iuniores animet, calcarque ad labores ſubdat; cùm viderint ſenectutem in honore ac veneratione eſſe. Nihil proinde non modo neceſſariarum rerum deeſſe; ſed quæ ad fouendam ætatem illam, annis & laboribus fractam commoda videri poſſunt, liberaliter ac munificè ſubminiſtrari curet; omnia nimirum à paterno, non iudicis aut hoſtis animo & manu, memor Philonis: *Reuerentia erga ſeniores & cura talis ſit, qualis eſſe poteſt germanorum liberorum erga parentes.*

Co-

Cogitet ſe ad eam ętatem languoremque peruenire poſſe: nulla potentior ad munificentiam incitatio eſt; ſtimulos illa addit ad ea præſtanda quæ ſibi in illis annis benignè à Superioribus concedi vellet. cogitet denique eadem ſibi iuſto Dei iudicio ab alijs aliquando in ea ætate ſperanda, quæ ipſe ſuis impartitur. liberalis eſt? ſentiet eaſdem manus. tenacior, moroſior? eadem exſpectet. qua enim menſura alios, eadem ipſe metiendus. neque permittit Deus inultam ſeueritatem ac moroſitatem abire; nec tenacitatem liberali manu donabit. ſolatia exſpectet quiſquis ſolari didicit. ſiccauit aliorum lachrymas, leuauit mœrorem, benignè habuit, prouocauit gaudia, munifica fuit manu, promptus ad largiendum, facilis ad ignoſcendum, in commiſerationem pronus? eadem ab alijs ſperet, pari per omnia mercede donandus. iuxta illud Domini Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* & illud Tob. 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

Et ſanè duriſſimum eſt poſt ætatem in Religione tranſactam, poſt valetudinem la-

boribus fractam, ſudoribus extritam, ſtudijs vigilijſq́ue emedullatam, moroſum difficilemq́ue pati Superiorem, ſoloq́ue præſentium emolumento, præteritorum obliuione res metientem. Nec video quid euenire viro grauius poſſit, quàm valetudinem obſequendi ſtudio proiectam, poſt adoleſcentiæ annos generosè inter aſſiduos labores decurſos, roboraq́ue iuuentutis proſtràta, in ætate liberalitatum indiga à Superiore deſtitui. Naſcuntur hinc mœrores, quibus non raro inſepultus ac tanquam ingenti mole oppreſſus ſuccumbit animus; extenuantur obrutæ mœroribus vires, & in tenui corpuſculo mens fatigata laſſataq́ue vitam in mœrore finit. Ita ſolet conceptus dolor, poſtquã intima depaſtus eſt, tabeſcentem animam è ſtatione amicoq́ue domicilio ſuo excutere.

Caueat prudens Superior non tam alijs quàm ſibi conſulens. ſolet enim Deus graues ætatis huius gemitus audire, nec irrita dolorum vota tranſire, paribuſq́ue demum moleſtijs mœroribuſq́ue exercere. quòd ſi quando monendi fuerint, meminerint illud

Am-

Digitized by Google

Ambroſij In Act. Apoſt. hom. 5. *Propter honorificentiam ætatis, maiorem natu cum manſuetudine ad bonum opus prouocandum, vt faciliùs ſuſcipiat admonitionem.*

CAPVT V.

Religioſa in hoſpites liberalitas.

SEquatur monētem in Abrahamo Chryſoſtomum: *Vide liberalitatem Abrahæ: vitulum mactauit, fermentauit & farinam. audi alacritatem: per ſeipſum & vxorem hoc facit. conſidera etiam quàm alienus à faſtu: adorat & obſecrat. omnia illa habere oportet hoſpitio excipientem, alacritatem, feſtiuitatem, liberalitatem. hoſpitis alioqui anima erubeſcit & confunditur; ſi non cum excellentia declaretur, gaudium abalienatur, & mox deterius fuerit quàm non eſſe ſuſceptum.* Imitetur Superior, hoſpiteſque pro religioſa paupertate ac modeſtia, benè habeat, magnam illis curam beneuolentiamque impendat, benignè comiterque excipiat, liberaliter foueat: negotia illorum ſeriò tractet, nihilque omittat eorum quæ meritò à religioſa

 cha-

charitate ſperari poſſunt: ac ſi in alterutro peccandum foret, profuſior in illis quàm tenacior ſit , cùm minus ſit profuſionis quàm tenacitatis delictum. memor tamen ſemper religioſæ moderationis, ne aut ad ſeculi mores tranſeat, aut ſordida quadam parcimonia hoſpites è domo ſua auertat.

Et quò hæc tenacitas? niſi vt apud ſuos iuxtà ac exteros malè audiat: mutuaque qua vna ſtamus charitas exſtirpetur. nam in quos religioſum profundet amorem, ſi in hoſpitibus contineat? aut quid à tali domeſtici ſperabunt, quem in eiuſdem Religionis fratres poſt itinerum moleſtias moroſo viderint ingenio? Quæ res ferè ab animo tenaci ſordidoque proficiſcitur; quique Religionis fortunas vt ſuas ſudoreque ac induſtria ſua partas, & poſt funera ſecuturas circumſpicit. qui ſi cogitaret nil ſibi plus in illis quàm hoſpitibus iuris eſſe, explicatiore ſinu largiretur quod iuris alieni eſſe ſciret. Si deinde ſibi perſuaderet nihil (ſi non omnino negligenda humana ſunt) ad nominis tota prouincia celebritatem commendationemque plus poſſe munifica in hoſpites largitione, nihilque

que magis ad contemptum conceptęque opinionis bonæ diminutionem tenacitate illiberalique hoſpitalitate eſſe, benigniùs ſe effunderet. Quin imò, ſi rem momentis ſuis propiùs metiamur, quem fructum ſordidior hæc parcimonia ſpectare poteſt? aliquid nimirum ingenti cura corrogaſſe quod effundendum ſucceſſori relinquat, nulla nec domeſticorum, nec peregrè aduentantium beneuolentia, vt nihil proinde referat præter effundendi materiam ſucceſſori relictam, omnium amore deſtitutus. at liberalior animus omnium gratiam retulit, opes non recondidit, æris etiam fòrs aliquid alieni reliquit, vni minùs commendatus ſucceſſori, à reliquis tamen laudem reportauit.

Accedit, Deum cumulatè liberalibus adeſſe, neque indonatam deſtituere munificam manum, neque ſpe ſua fruſtrari. nam cùm liberalior quiſque fortiter diuinæ largitati innitatur, ingenti in illius munificentiam ſpe erectus, non patitur ſe ab humana fiducia vinci Deus; ſed liberalioribus ſemper donis, liberalem mentem dexteramque excitat & implet. Et ſanè cùm remotiſſima à

Digitized by Google

Deo tenacitas omnis ſit, tum coniunctiſſima illi liberalitas eſt. & ferè nil magis Religioſum dedecet quàm illiberalis animus. cùm enim primus propè Religionis gradus ſit humana ſpreuiſſe, opeſque generoſo calcatu protriuiſſe; fit vt auidus diuitiarum corrogator, fortis detentor, ſordidus explicator, Religioſi nomen non mereatur, cùm alium ſe nomine, alium factis oſtentet. nomen contemptum præfert; facta cupidum opum inhiatorem. quicunque proinde veri Religioſi nomen tueri volet, exporrecta fronte manuque liberaliter in hoſpites ſuos Chriſti diſcipulos effundat quæ ab illo accepit: qui munificentię ſuæ nubem in munificum pectus depluere conſueuit, certus nihil liberali & Chriſto ſimillimo animo deeſſe poſſe, ſemperque tenaci ſordidoque deeſſe ſolere. cui quo plus habet, plus deeſt, vt cuius concupiſcentia paribus auctibus cum opibus creſcat.

Denique ſi feriò apud animum ſuum ſtatuat Superior, Chriſti ſui vices hoſpites implere, in his illum haberi, beneficia in hos collata in illum effundi, remuneratorem il-

lum

Digitized by Google

lum præmiatoremque omnis liberalioris animi eſſe; perfacilè videbit qua mente eſſe debeat. Sanè ſi Euangelio teſte, Chriſto tribuantur quæ in diſcipulos illius erogantur; quid ſperet Superior, niſi, vt qua manu Chriſtum in diſcipulo exceperit, eâdem à Chriſto excipiatur? parcè excipit, excipiatur parcè; liberaliter excipit, paria ſperet. mentiri non poteſt Deus. Quid ſi ipſum Chriſtum intueretur præſentem, haberetque hoſpitem, qua illum liberalitate dignaretur? eandem diſcipulo tribuat; cùm ſe in diſcipulo veſtiri, potari, cibari ipſe teſtetur. talem ergo ſe Superior hoſpiti ſuo præbeat qualẽ Chriſto; nec aberrabit: talem denique, qualẽ in vtraque vita remuneratorem illum deſiderat, nec alium; & boni munificentiſſimique Chriſtoque ſuo ſimillimi Superioris abundè munus expleuerit. alia ſi graditur via; aberrabit, & cum nominis ſui dedecore in inexplicabiles ſe difficultates cõijciet, ingentium turbarũ, oblocutionum, ac alienationũ à ſe, à domo cui præeſt, nec raro ab ipſo etiam inſtituto, cauſa. neq; enim omnes vitia perſonis tribuere conſueuerũt; Religioni aſcribũt ſi quid

 pec-

Digitized by Google

peccatum ab vno. Euitabit hos ſcopulos liberalior Superior, pacemq́ue ſibi ſuiſq́ue parabit.

Feciſſe hoc omnium adeò Religionum inſtitutores, prolixiuſq́ue ſe religioſa liberalitate in hoſpites profudiſſe, Ordinum hiſtoriæ docent: etiam illos qui ieiunio aridi, vino & animalibus exulantes, ac ab omni vitæ fruge abſtinentes, in ſacco & cinere humilitatem animæ ſuæ Deo ſacrabant; ſeueritatem ponebant, hoſpitalitati indulgebant, vt exemplo ſuo verecundiam hoſpes poneret, & auderet libare quod non erubuerat amor dare. Eſt nimirum etiam in paupertate quædam quaſi prodiga liberalitas, non tam rebus quàm animo metienda. hanc Superior omnis religioſâ munificentiâ induat, in hoſpites ſuos effundat, vt mutuæ caritati, quâ vnâ Religio omnis inuicta ſtetit, liberalitatem omnium gentium exemplo, ſtudioſiùs immolet, hilariùs profundat, promptiùs eroget; certus munificentiã omnem in Chriſti potiſſimùm diſcipulos erogatam, centuplâ à Deo remuneratione donandam, centuplâ remetiendam.

Et

Digitized by Google

Et ſanè probatam hanc in hoſpites largitatem non vna Scriptura monemur. cùm non erubuerint Angeli edendo, bibendo, pedeſque lauacro porrigendo, breuem carnis commeatum ſumere, & humanam induere ſuperficiem, vt exinde creſcerent Abrahæ benedictiones, & magnum illius nomen in Iſaaco, ac in ſtellarum exinde æmulam inuidiam propagaretur. Quid? quòd Zachæus, Matthæus, Martha ac Maria Dominicę hoſpitalitatis prętrogatiua ſignentur. & tot poſt Chriſtum ſolâ propè liberalitate armati, cælo inferenda diuite triumpho ſpolia, ab humani generis hoſte reportarunt. & Chriſtus ipſe negatæ hoſpitalitatis & retractę dexteræ in magno illo iudicij die delictum obijcit; quaſi ſatis ſit in damnationem hoſpitium negaſſe, hoſpitalitatem neglexiſſe; ſatis in præmiationem hoſpitio excepiſſe, hoſpitalitatem coluiſſe.

CAPVT VI.

Munificus in domeſticos animus.

BEnè domeſticos habeat in victu, veſtitu, cubiculis; aliquídque ſuperſit potiùs quàm deſit: ſic enim fiet vt obſequentes ac morigeros habeat ſuos; vtque omnis murmurãdi ac obloquendi abſit occaſio, promptóſque ad quæcunque imperata ſuos reperiat. nec quidquam tam arduum erit quod liberalis in ſuos Superioris animus non extorqueat. quid? quòd ferè de tali benè ſubditi loquantur ac ſentiant? nolunt enim beneuolentiâ vinci. quare cùm munificum in ſe Superiorem inferiores ſenſerint, nec aliud habeant quo liberalitatem rependant, prolixè de illo apud omnes benéque loquuntur; paratóſque promptóſque ſe ad quæcunque imperata etiam vltrò offerunt, vt hiſce modis munificentiam compenſent. cùm cõtrà in Superiore tenaci etiam virtutes diſpliceant, & vitia habeantur, & dura in leuiſſimis imperia. ita cùm in liberali manu difficillima, facillima fiãt; in auara facillima, difficillima enaſcuntur. & fruſtra talis ſuos ad meliora ducet, aut ad inſtituti amorẽ, regularúmque obſeruationẽm exhortabitur. ſuſpecta monita ſunt ab auaro ore & manu

pro-

propinata. placeat qui perſuadere volet; & alienioris animi occaſiones tollat, ſi in ſuam ſententiam impellere alios deſideret. nihil facilius quàm amanti quæ voles ſuadere; nihil difficilius quàm inimico aut à quacunq; cauſa auerſo. Componē hūc animum, & religioſis etiam beneficijs concilia tibi, & impera, ſenties obſequētem. benè qui ſuos habet, imperare tutò poteſt. regularum ille etiam minimarum obſeruationem vrgeat, & inueniet obtemperantes; etiã punire poteſt qui benignè ſuos habet. Et ſanè gratiora amantis vulnera, quàm inimici ſunt oſcula; illa in ſalutem, hæc in mortem imprimũtur. benignè habere, monere, ac ſi qua neceſſitas punire etiam, patris & amantis eſt: malè habere, monere, punire, plus habet hoſtilis animi & ſeueri iudicis, quàm amici & patris. Prudenter in hanc ſententiam Mauburnus: *Prouideant Prælati. facilè enim ad omnem regularũ obſeruantiã ſuos compellent, dum ea quæ neceſſaria ſunt prouiderint. O quot diſpendia animarũ propter auaritiã Prælatorum, qui poſſent monaſteria benè reformare, ſi vellẽt neceßitatib. Fratrum occurrere, & de communi omnia miniſtrare. ſine quo nulla*

perſtabit Religio! nam ex illius defectu proueniunt mala multa: inde murmur, detractio, Conuentus euacuatio, totius diſciplinæ regularis ſubuerſio.

Quòd ſi vulgatâ opinione ducti, Parendum Superioribus, obſecuti fuerint; à timore veriùs quàm ab amore obedientia naſcitur. ac licet manus pedeſque imperata exequantur, alienior tamen in parendō animus eſt; frigidè proinde languideque imperata exequitur; ac ſi credat non prodenda, negligit. miſcentur deinde perpetuæ propè oblocutiones, nauſeantiſque ſuper imperatis animi faſtidia. neque diu ſtare imperia hæc poſſunt; erumpent ab occultis in apertas detractiones, in animorum alienationes ac diſſenſiones, in totius denique familiæ ſimultates, dum alium ſibi ſinguli Superiorem concedi optabunt, aut aliam domum circumſpicient, præſentemque damnabunt; ac ſi quos ablegari contigerit, nuſquam parcent. hoſpites etiam ſi aliunde aduenerint, de ſingulis docebuntur, & obambulabit ſordidior parcimonia hæc prouinciam, non ſine inſigni diminutione nominis Superioris; quin & ad externos ibit hæc fama: neque e-

nim

nim intra domeſticos diu latere hæc poſſunt; prodent ſe aliquando, ſiue improuidâ Superioris circumſpectione, ſiue inferiorum indignatione: è qua querimoniæ effunduntur nullis priuatis parietibus claudendæ. & ferè ad mulieres ſagaciſſimum in hac re genus, eunt hæc mala. Quod vbi contigerit, nullâ iam arte contineri res poteſt. vnde fit vt externis iuxtà ac domeſticis ingratus Superior viuat: nec antè conquieſcant animi, quàm munere ille ſuo defungatur. neq; hic finis. in omnem ætatem aliquid ſemper adhæret maculæ etiam in priuata vita, cùm præteritorum narrationes non raró in exemplum adducantur. tantum poteſt ſemel impreſſa opinio. nunquam moritur: æternumque etiam poſt funera viuit, magniſque non infrequenter virtutibus obſtruit, victuræque gloriæ non poſtremam partem adimit, meritaſque minuit laudes. Eſt enim ſordida hæc parcimonia æruginis inſtar, æra ferrumque exedit. Prouidebit proinde Superior: & dum ſe patrem cogitat, inferiores filios; filiorum illos loco habebit. imò cùm ad domeſtica tantum cuique iuris quantum

ſibi eſſe cogitauerit, nec turpiter prodiget, nec ſordidè parcet; ſed religioſæ moderationis memor, nec deeſſe corpori neceſſaria patietur, nec commiſſa profundet, nuſquam prodigus, nuſquam ſordidus; ſemper munificus, nunquam auarus; paupertatis in liberalitate, liberalitatis in paupertate memor. Benè proinde vt imperet, benè ſuos habeat Superior: benignè vt pareant, benignè habeat: nullis vt illi parcant laboribus, ſudoribus, ſanguini, nullis prior ipſe rebus parcat. vult ſuos in præſtanda opera munificos? ipſe rebus pręeat. vult nuſquam ſibi eos parcere? prouocet ſuorum liberalitatem, munificâ in paupertate largitione, animo ſaltem magno & in religioſa paupertate generoſo: memor illius, *Fortiter qui præmiat, imperare fortiter poteſt*. quid? quòd nec imperio in liberalitate ſit opus, vltrò decurrent ſubditi, & gaudebunt etiam pro munifico Superiore ſudorẽ ſanguinemque ſpargere. tantum in humanis munificentia poteſt, vt dum alia negata via eſt, ſanguine remunerare dona, lubentes vltrò volenteſque velint. ita cùm difficillima ſint imperata nolẽtibus, facillima volentib.
ſunt;

ſunt; cum leuiſſima quæque duriſſima videantur imperia, ſi parcè ſordidéque tuos habeas; tum duriſſima quæque leuiſſima videntur, ſi benigne liberaliterque habeas. tantis inter ſe ſpatijs liberalitas, tenacitáſque diſcriminantur. Benigniorem partem prudens amplectetur Superior, ſuo, ſuorum, Religionis, proximorum bono.

Neque tamen hîc quidquam detractum volo religioſæ paupertati, aut conuelli hunc Religionis murum, ne reliquum ædificium corruat fundamento laxato. ſed eſt etiam in ipſa paupertate liberalitas, ingentiáque elucere in hac munificentiſſimi animi ſigna poſſunt. vt domeſticis Superior proſpiciat, nihílque neceſſariarum rerum deeſſe patiatur, prouidentiæ ac prudentiæ eſt: vt aliquid ſupereſſe malit quàm deeſſe, paterni ac liberalis animi eſt: ne in ornatum, commoda, delicias, Religionis fortunas prodigat, modeſtiæ ac voti eſt. Et vt nimias in Religione opes non probo, ita extremam egeſtatem ac mendicitatem, in qua ad vitam modeſtè piéque fouendam neceſſarijs omnino deſtituuntur, probare vix auſim: nam

nam & corporis vires & valetudo, obeundis in proximorum ſalute functionibus, neceſſariæ ſunt, quas inter nimiæ parcimoniæ ſordes ægrè impetrabis. Sanè vt in ſummis opibus ſummam tenacitatem, ita magna etiam in paupertate ingentes animos munifica quadam generoſitate nobiles reperies: vt non tàm munera, réſque ipſæ quàm donantis animus & largiendi modus intuendus ſit. neque enim donorum magnitudine aut parcimonia, ſed animo munificentia metienda eſt. vt animus claritatem aut obſcuritatem donis adferat; nec à donis animus, ſed ab animo dona amplitudinem ſortiantur. etiam in paupere minima largiri animo magno, magnum; in diuite magna largiri animo puſillo, puſillum eſt. & in paupere domo tenuis menſa liberalis eſſe poteſt; in diuite domo liberalis tenuis erit, ſi vtriuſque animum, illius magnum, huius tenuem conſideres. Et ſanè veri Religioſi in Superiore ſuo, non cibum, potum, veſtitum, ſed mentem, qua hæc tuendæ valetudini, muneribúſque obeundis præbentur, intueri conſueuerunt; rerúmque harum ſplendorem te-

tenuitatémque non ab earum tenuitate ac magnitudine, ſed à largientis animo metiuntur. benignè, comiter, hilari lætóque vultu dediſſe, magnum eſt. etiã minima è tenui recula liberaliter tribuiſſe, magnũ eſt. quid? quòd vel liberalitatem præ ſe tuliſſe magnũ ſit, maximè ſi non nudis verbis veſtiri dona, ſed animo benigno facilíque videant. Neq; celari hæc res poteſt. nam vt diuitis tenacem ſordidámque mentem in non contemnendo etiam dono; ita pauperis munificam in exiguo munere videas. modus largiendi animum teſtatur. Hunc pauperis animum liberalem oſtendat Superior, & munifici nomen, quæque hoc nomen commoda ſequuntur, ſortitus fuerit. imperabit ſine faſtidio, quia volẽtibus; ſine acrimonia, quia vltrò properantibus; ſine murmurationibus, quia lætitiam in parendo teſtantibus; ſine moleſtis repetitionibus, quia nuda imperij ſigna præcurrentibus: vt vel nutu mentem indicaſſe ſatis ſit. neque enim quidquam prius gratiúſque inferiori, quàm munifici benigniq́ue Superioris voluntati obſequi. vnde ingens domi pax tranquillitaſque ſequi-

quitur, cùm ſinguli æmulo quodam parendi ſtudio, mutuis accenduntur obſequijs, mutuiſque incaleſcunt obſequendi affectibus. & ferè quo nexu cum Superiore, eo inter ſe inferiores colligantur. benè capiti, benè etiam mutuò vinciuntur. malè capiti, malè etiam mutuò innectuntur; vt à ſingulorum membrorum cum capite nexu, mutua eorumdem vinculatio deſumenda ſit. Benignum ergo ſe munificumque in ſuos oſtendat Superior, & pacatam familiam conſequetur, nec ad externa, vota ſua transferentem. nam vbi parcum tenacemque nacti inferiores Superiorem fuerint, externorum menſas, pocula, dona circumſpiciunt, rationeſque potiundi illis cogitant, & inueniunt. non facerent ſi liberalem Superiorem conſecuti fuiſſent; & amarent etiam in benigno Superiore paupertatem, exultarentque in rerum tenuitate à munifici Superioris animo profecta. longeque pauperis Superioris ſui in comitate liberalitatem, quàm diuitis moroſam in tenacitate copiam prędicarent. Tantum liberalitas poteſt, animuſque in quacunque etiam tenuitate munificus, vt be-

Digitized by Google

benignè qui dedit, omnia dediſſe videatur.

CAPVT VII.

Prudens domeſticorum munerum inſtitutio.

PEndet ab hac vniuerſæ familiæ felicitas, domeſtica pax, nominis apud externos integritas, mutua animorum coniunctio, religioſæ diſciplinæ vigor, ſeria regularum obſeruatio, inſtituti admiratio & commendatio, proſperrimus in ſpiritualibus iuxtà ac temporalibus ſucceſſus, lętiſſimuſque ſuſceptarum rerum exitus, Religio denique tota. Ad quam rem proſperè exequendam neceſſaria omnino in Superiore cognitio ſuorum, quam partim accurata, ſolerti ſeriáque in omnem partem morum cuiuſque obſeruatione, partim religioſis aliorum delationibus, partim ſingulorum de ſe ſuiſque narrationibus conſequetur. nec difficile erit ſuos ad apertam internarum omnium affectionū, propenſionū vitiorumque iuxta ac

vir-

virtutum ſuarum denuntiationem deducere; ſi prior ipſe factis magis quàm verbis, paternum in ſuos ſincerúmque & non politicum affectum oſtenderit, vt fidere ſe ſuáque illi audeant inferiores, ac tanquam filij ad parentem decurrere, adeóque tanquam in benignæ matris ſinum, omnem animorum ſuorum ægritudinem, moleſtias mœroréſq; deponere.

Cognitionis verò huius intimæ defectu quanta meritò incommoda timeri debeant, nemo non videat, cùm rerum imperitis domeſtica committuntur, ac non raró noxia in primis ipſis quibus imponuntur, non ſine periculo grauioris aliquando offenſionis, cum inſigni vniuerſæ familiæ dedecoratione; vt cùm prono nimiùm in cibum & potum, cura illorum concreditur; incontinentiæ addicto, atque ad lapſum procliui ea iniunguntur quæ frequentiùs alterius ſexus colloquia depoſcunt; in prodigas largitiones propenſo temporalium adminiſtratio traditur; incurio, tepenti ac ſollicitudinem vacuo, ea imperantur, quæ vigilantem, induſtrium, ſedulum, ac in omnem partem inten-

ten-

tentum deſiderant; frigido calida & æſtu peragenda, calenti frigida & lento pertra-ctanda pede; moroſo faſtidioſoque læta, excitato & effuſo triſtia; imbelli fortia, & quæ robur depoſcunt, robuſto validóque imbellia, & quæ plus femineas manus quàm viriles exigant lacertos; ſomnolento & in torporem facili, quæ erectos vigiléſque poſtulant; alieniſſimis denique ea quorum vix nomen ſine horrore aut pallore ſuſtinent, demandantur. Grauis omnino & Religioni in primis noxius error, & à quo vno mala omnia próueniunt, diuitéque profluunt vena. quo magis inuigilandum huic rei, dandáque opera vt quàm maximè idonei muneribus applicentur.

In quam rem proderit in primis, ſi priuſquam certo alicui muneri quemquam ſuorum Superior deſtinauerit, in eóque firmauerit; captata pro re nata occaſione, experiatur quid in vario ſinguli genere poſſint, quędam nunc huic, nunc alteri, deſignato aliquo tempore, committēdo, vt reipſa promptitudinem dexteritatémque cuiuſque propiùs cognoſcat; ac tirones inexpertóſque

ad-

adhuc rerum, veteranis qui religioſè ac cum laude munia obierunt, aſſociet, vt horum conſuetudine ea diſcant, quæ ſimilibus pertractandis vſui futura ſunt. Nec erit difficile Superiori, per varia munia, cuiuſque vires, induſtriam, fidem tentare, quantumque in vario genere ſinguli ferè poſſint, quem animum adferant, quam alacritatem, ſolertiam facilitatem, dexteritatem ſpondeant; quam conſtantiam, fortitudinem, ingenium, iudicium, prouidentiam, commiſſi muneris zelum, ac diſcretionem denique promittant, ſi diligens ſuorũ obſeruator fuerit, nec quemquam facilè ad ſtabile aliquod munus admiſerit cuius non ante virtutem mentemque in vario genere didicerit.

Prima tamen cura Superioris erit, vt virum ætate, rerum experientia, prudentia, pietate, morum comitate ac beneuolentia inſignem, confeſſionibus ſuorum excipiendis præficiat. qui morum lenitate componere animorum motus, rerumque vſu aptiſſima cuicunque morborum generi ſuggerere ac adhibere medicamenta ſciat, qui agendi dexteritate verſare ſe in omnem concredi-

to-

Digitized by Google

torum ſibi partem nouerit, quique ſpiritualium lumine inſtructus detenebrare internas pectorum noctes didicerit, qui iacentes erigere, mœrentes exhilarare, ægros ſolari, turbatos componere, dubios firmare, torpentes inflammare, nubilos ſerenare, omnibus denique omnia fieri doctus fuerit. qui deinde ſilentij & ſolitudinis, quantum Religio patitur, amator, orationiſque ac meditationis ſtudioſus, piorúmque voluminum lectionibus addictus, humilitatiſque ac patientiæ dono præditus ſit.

Et ſanè non minùs ad tranquillandam familiam, ac in alta quadam animorum pace conſtituendam ac conſeruandam, regularúmque ac diſciplinæ vigorem, mutuumque amorem ac beneuolētiam firmandam, domeſticus confeſſarius quàm Superior ipſe poteſt; cùm propiùs ille ſingulos quā hic nouerit; vt cui interiora omniū perſpectiſſima ſint, ac proinde certiùs fidētiúſque monere vnumquemque poſſit, maximè ſi verbis factiſque medicū, patrem matrémque refe-rat. Ac ſi quid inter Superiorem inferioreſque intercurrat, nemo propiùs venientibus

oc-

occurrere malis poteſt, nemo præſentia certiùs repellere; nemo inter pares diſiuncta firmiùs coniungere, animóſque diſſentientes nouo quodam beneuolentię glutino roborare; nemo ſuſpicionum fluctus ſecuriùs ponere; nemo mœrores ſiue ex vera, ſiue ex falſa cauſa natos puriùs abſtergere; nemo irreligioſas libertates, ſeculíque mores fortiùs comprimere, nemo ſingulorum morbis certiùs mederi, nemo prudentiùs anteuertere poteſt. vt totum ſpirituale ædificium huic propè vni innitatur, totáque religioſa moles vnius prudentiæ inædificetur, adeò vt hoc corruente, aut deroborato, reliqua ferè ſpiritualis ſtructura corruat. Et magna omnino dexteritate, diſcretione ac ſapientia opus eſt, vt neque inferiores conſolatione deſtituat, neq; de Superioris auctoritate quidquã detractũ eat; dum non infrequenter angelũ ſe pacis medium inter vtroſq; ſtatuere cogitur, omnéſque tam valida paterni affectus ſignificatione in fiduciam prouocat, vt nihil tam graue ſit quid non ad illius pedes volentes lubentéſque proſternant, nihil quod non ab illius ore alacres hauriant, cùm parem in

om-

omnes affectum, paratumque veri patris pectus, vberaque matris intuentur.

Altera dein Superioris cura erit, vt temporalium tractationibus eos præficiat, qui vt rerum talium pertractandarum dexteritate, ita & pietate valeant. neque enim aut nuda hîc pietas aut ſola prudens dexteritas ſatis eſt. nã & illa ſi rerum vſu careat, perdet res potiùs quàm promouebit aut tuebitur: nihil enim inſcitia promptiùs ad cuiuſcunque rei interitum; & hæc pietate viduata, ſæculum magis quàm religionem ſapit. vtrumque ſi iunxeris, domum beaueris. Et incredibile dictu eſt quantum ad familiæ totius pacem, animorumque tranquillitatem prudens temporalium adminiſtratio poſſit, vt ſi hanc ſuſtuleris, illam loco moueris. tã enim arctè domeſtica quies ſolerti temporalium gubernationi innectitur, vt hac corruente diu illa ſtare non poſſit. imprudentem enim illarum tractationem varij ſequuntur animorum motus ac turbationes, oblocutiones, ſuſpiciones, indignationes, libera iudicia, anxiæ curioſæque inueſtigationes, ſollicitudinum plena dolia. quæ ſanè omnia cũ

domeſtica pace conſiſtere diu non poſſunt; atque ita collabaſcit tranquillitas, mẽtiumque religioſa malacia; ſucceduntque in horum vicem variæ animorum tempeſtates, quę pulſa ſerenitate decumanis maiores fluctus familiis inferunt.

In reliquis etiam Sacerdotum muneribus iniungendis, vigilem prouidumque neceſſe eſt eſſe Superiorem: cùm nullum propè ſit adeò tenue, è cuius mala adminiſtratione, non magnum aliquod malum Religioni ſubnaſcatur, mutuamque animorum coniunctionem diſcingat, beneuolentiam minuat, alienationem ingeneret, oblocutionum materiam præbeat, verborum acerbitatem prouocet, ſubdolaſque molitiones mutuis euerſionibus ſuggerat.

In Fratrum verò muneribus incredibile, quantum ad familiæ tranquillitatem referat, prouidum prudentemque in illis deſignandis eſſe, vt intelligentibus vereque Religioſis committantur. vt in his peccaſſe, in omnibus propè peccaſſe videri poſſit. adeò familiæ totius certa pax à felici horum adminiſtratione pendet, vt ſi improuidè hæc

ac

ac ſine prudenti diſcretionis delectu impoſita peractaque fuerint; ſatis ſint ad vniuerſam familiam ex altæ tranquillitatis portu in altum mare, fluctibus motibuſque infame, demergendi. Cùm enim ab his omnis propè temporaria res pendeat, fieri non poteſt, vt ſi infeliciter illa pertractentur, non ſubitò ingentes familię motus exurgant. vnde mutuæ diſſenſiones, obloquiorum non vltima, temeraria iudicia, mentium alienationes, partium ſtudia proſiliunt; fitq; in his quod in decachordo ac cithara, reliquiſque muſicis inſtrumentis, vt plus in diſſonantiam ac inimicum auribus concentum vna chordę intemperies, quàm reliquarum conſonus ſonus valeat. & non in cantu plus ad muſicam omnem inuenuſtandam; diſſona vox vna, quàm reliquorum concordes poſſunt. Idem in Religione vſu venit, plus muneris vnius ignara imprudénſque adminiſtratio ad familiæ turbationem, quàm prudens peritáq; reliquorum ad tranquillitatē poteſt. neque hoc mirum cuiquam videri debet, cùm ad ſolidam plenámque pacem omnem neceſſum ſit abeſſe intrāquillitatis

 cauſ-

cauſſam; vt ad integram maris malaciam omnem fluctuum colliſionem. nam à quacũque demum cauſa tempeſtas oriatur, ſatis eſt ad claſſes ſorbendas, & vbi placido antè ludebant elemento, tempeſtate, à minimis non rarò initijs, nata, triſti infauſtoque exitu deprimendas. Eadem in Religione cogitanda, cuius placidiſſimum dum ſtarent venti mare, "vnius vel leuiſſimi muneris imprudenter minuſque religiosè peracti flatibus, intumeſcit, & in nocituras exurgit minas, pacataque antè inimicat littora, & tanquam ſequientium procurſu fluctuum, mutuis concutitur illiſionibus: vt omnem meritò conſecutus felicitatem Superior videri debeat, ſi muneribus omnibus obeundis idoneos nactus fuerit. cùm talis in alta pace ſit, magnarum ſollicitudinum expers; extraque anxium metum poſitus, fortunata fruatur quiete. nec aliud illi ad felicitatem deeſt, quàm obſequentes, vocationis ac religioſæ diſciplinæ ſtudioſos, rerumque quibus applicantur, gnaros & amantes conſequi, quique publica vt ſua, pari nimirum fide, diligẽtia, maturitate, zelo, cõſtantia peragant. Qui ſi deſint,

ſint, proximos ſaltem his religione ac prudentia ſtatuat, aut illos ſanè qui minora circumferunt incommoda & mala in externorum oculos incurrentia, quæque mutuæ internæ caritati quàm minimè aduerſantur, nec obedientiam vniuerſam diſſoluunt, nec paupertatem infringunt, aut incontinentiæ materiam ſuggerunt. Quòd ſi talibus etiam deſtituatur, magno delectu, quaqua via & arte conquiſitos, nouos in Religionem aſciſcat, quos ſub prudenti magiſtri manu eductos, obeundis religioſè munijs adaptet: nec ætatem in his, ſed virtutem, pietatem, prudentiam, ac Religioſo dignos mores intueatur.

Nec difficile erit tales conſequi ac parare, ac ſub induſtria vigilique magiſtri manu ſuccreſcere; imò & veteranos paullatim ad illa deducere, ſi Superior ipſe informandis his ſeriam operam impēderit, frequentibuſque ſpiritualium piarumq; rerum colloquiis, paterniſque monitis ad virtutem illos & pietatem impulerit. Sequentur ductorem, ſi ſolliciti patris dexteram, verba factaq; ſenſerint, & obſequentes ſe filios ſub paterna

illius manu præbebunt. quòd ſi à recto bonóque deflexerint, in viam eâdem manu reducendi erunt, animandi ad victoriam ſui, media cuiuſque naturæ commoda ſuggerēda, præmiáque Religioni ac cælo repoſita proponenda. Nec laboribus in his animorum agris excolendis vinci Superior debet. fructus dabunt ſudoribus nobiliores; nec emendationem deſperare, ſed longanimitate ac manſuetudine quadam animi, ſuorum ingenia quantumuis inculta & effera, morbóſque ac vulnera pertractabit. non exaſperabit acrioribus mala, ſed oleum cum Samaritano vino miſcebit, grauiora nimirum monita magna ſuauitate temperabit, vt ſentiat inferior ab amore illa, ac ſalutis ſuæ ſtudioſiſſimo, à patre denique, non à domino aut iudice proficiſci. ſic fiet, vt benigno prudentíque Superioris ſui ductu pietatem ſimul ac prudentiam inferior imbibat, dum & errores commonſtrantur, & remedia præſcribuntur, & Superioris tanquàm magiſtri, inferioris manus ducitur. quod ſi patientem prudéntemque hanc manuductionem frequentauerit Superior, fiet pedetentim vt digna

digna magiſtro ſuo diſcipulus exequatur, & nullius iam adminiculo innixus prudentes ad concredita ſibi manus extendat.

In omnibus tamen intentum ſemper oculum neceſſum eſt habere Superiorem, nec à quantumuis experti ſſimo aut peritiſſimo illos deflectere, ne nimia fiducia ſui labatur inferior, & ſerò manum operi admouere conetur Superior errore commiſſo, cùm ſoli pœnitentiæ locus eſt. In quibus vt nimia fiducia, ita diffidẽtia vitanda, ne dum priorem ſcopulum fugit, in ſecundum impingat. mediam inter vtrumque viam tenebit, vt & fiduciam inferior ſentiat, & vigilantem ſuper grège ſuo Superiorem non ignoret; vt fiducia animos, illiúſque vigiliæ præſentem ſibi inferiorem præbeant, nec diffidentia nimiùm proſternat, nec fiducia nimiùm attollat, & obliuionem ſui adducat.

CAPVT VIII.

Domeſticarum rerum cognitio.

CVm ad omne benè ſecureque gubernandi rationem, nihil certius ſit quàm omnium cognitionē habere, vt nihil illum qui præeſt, ac gubernacula moderatur, fugiat; neceſſarium omnino videtur,

1. Neminem domo egredi, aut externi cuiuſcunque ædes adire non pręmonito antè Superiore. habemus hoc in ſtatutis Minorum à Iulio II. probatis: *Prælati antequam exeundi licentiam tribuant, inueſtigent & inquirant quò ituri, quæ negotia cum quibúſue ſint acturi, & tunc ſi congruum videbitur, dabunt licentiam, & terminum redeundi determinabunt.*

2. Neminem extra ordinaria & conſueta tempora ad domus portam aut templum euocari, non monito priùs Superiore. ſæpè enim contingere poterit ſcire quædam Superiorem ignorata inferiori, cur non expediat talem familiam aut perſonam conueniri, cauendumque ne plures ad eoſdem eodem tempore concurrant; quod euitari nō poteſt niſi conſcius omnium Superior fuerit. Sæpè etiam aliquid habebit Superior illi qui conuenitur indicandum; fierique poteſt vt operam alicuius, viris magnis in certam horam ad-

Digitized by Google

addixerit Superior, qua contingeret illum cum robore magnorumque indignatione fruſtrari ſi domo abeſſet inferior condicto tempore. Frequenter etiam inſtructione aliqua opus erit, & cautela nõ rarò adhibenda moderatioque: ſæpè enim quem conuenire inferior parat, ex amico hoſtis factus aut cenſor grauis, vt præmoneri expediat inferiorem. Fortè etiam domus aut familia adeunda recenti & ignota inferiori infamia laborat, aut periculis obnoxia, aut ſiniſtra quadam ſuſpicione contaminata eſt. contingetque non rarò vt quæ ad portam aut templum euocant, minùs ſint probæ, minùs tutæ: quarumque conſuetudo obeſſe poſſit famamque lædere. quæ è varijs cauſis notiſſima ſæpè Superioribus ſunt, inferioribus ignorata.

3. Nullas litteras non lectas mittere aut tradere, ne quid Superiorem lateat; ne ſcribantur aut accipiantur nocitura, quęque vel mutuam animorum cõiunctionem ſcindere, vel quoquo modo publicè aut priuatim offendere aut lædere poſſent.

4. Domeſtica omnia perſpecta habere.

Digitized by Google

quare expediet cubicula omniáque domus loca, ac officinas bis minimùm per hebdomadam à Superiore luſtrari. hæc enim diligentia nitorem, compoſitionem, reliquáq; religioſæ modeſtiæ prouocat, Fratréſque in officio continet, cùm nullo die ſecuri ab illius inſpectione ſint futuri, ignari quando obiturus ſit domum: nam vt amor apud Religioſos plurimùm poſſit, tum veneratio & metus non vltimum locum obtinent ad prudentem familiæ inſtitutionem. ſic enim fiet vt omnes omnia ſua tanquam in Superioris ſui oculis magna ſollicitudine obeāt. ac licet leuiſſimè ſingula ac quaſi vno oculo percurrat, incerta tamen illius exſpectatio, ac inopinati ſæpè acceſſus, plurimum ad res ſeriò peragendas momenti habebunt. Nam vt nihil potentius ſit amore, neſcio tamen quo modo comparatum ſit, vt niſi timor veneratióq; amori miſceantur, non magna in humanis ſperari, multa etiam timeri poſſint. ingens cuſtodiæ regularum incitamentum, amor eſt. ſed ferè niſi metu quodam vinciatur, in neglectum quendam abire conſueuit: nimia enim ſui fiducia peccat amor. cal-

ca-

caria illa frænáq; à filiali timore admouenda ſunt. Vtrumque vigili aſſiduitate ſua diligentíque ſeriaque rerum omnium inſpectione ac cognitione conſequetur Superior, & bonę prudentíſque gubernationis ac imperij leges explebit. hoc enim demum imperium firmum eſt, cùm amori permiſtus timor eſt, è quibus tanquam optimis parentibus, imperijs neceſſaria veneratio naſcitur. timor offenſionem cauet: amor affectui indulget. vtrumque ſi iunxeris, imperium ſtabiliuiſti. plus tamen longè amoris quàm timoris ſit, vt nimirum nec nudus amor ſit, nec exulet omnis timor. certiſſima hæc imperij regula eſt. Meminit huius D. Bonauen. in ſex alis, ca. 6. cuius hæc verba: *Etſi Prælatus magis diligendus ſit, expedit tamen vt ab inſolentioribus timeatur. Ipſe amor aliquo modo ſuauior ſentitur cum reuerentia mixtus. quod patet in amore ſũmi Creatoris: cuius quo maieſtas ſublimior agnoſcitur, dignationis dulcedo ſapidiùs amatur.*

5. Temporalium rerum domeſticarum omnium accuratam cognitionem habeat Superior, vt nihil illarum rerũ illum lateat. agrarias familiæ ſuæ res omnes, annuoſque

è quocunque promanantes cenſus, prouentuúmque reliquationes, æſque ſuum alienúmq;, ſtatutáq; illi accipiendo exſoluendóque tempora, rerúmque adeò etiam venalium frequentiùs occurrentium pretia, perſpecta habeat. quæ omnia breui compédio complectatur, vt dati menſibus ſingulis acceptíque, dandíque accipiendíque tota illi ratio conſtet, nihílque omnium illum fugiat. ſed nec illo inconſulto quidquam erogetur aut accipiatur. neque eleemoſynas donáque ignoret, quò ſuorum orationibus benignam benefactorum manum remuneretur. Hinc fiet vt omnium Superior conſcius, prudentiùs ſingulorum neceſſitatibus occurrat, tempeſtiuiùs vtiliúſque proſpiciat, certiúſque damna præcaueat: neq; illi quorum fidei temporaria concredita ſunt, Superiorem fallere, aut pro ſuo in res varias minùs prudenti ac religioſo affectu familiæ facultates profundere poſſint. cùm enim ſcient ſe rerum omnium vigilem, inſpectorem Superiorem habere, non facilè pœnitenda aut damnanda committent: neque temerè pro innata quadam propenſione res aggredi-

dientur, quibus ferè damna infelicéſque exitus coniuncti ſunt, nullâ poſtmodum arte corrigendi.

Quòd ſi rerum harum cognitionem neglexerit Superior, maximis ſe non rarò difficultatibus implicabit, periculíſque non vltimis ſe familiámque ſibi creditam exponet; experietúrque illos quibus temporalium procuratio demandata eſt, dominos Superioréſque veriùs quàm inferiores aut ſubditos; pendebítque ab horum ſemper voluntate rerum ſuarum ignarus. ſed neque tutò imperare illis poterit; aut negligendarum rerum timore, ne audebit quidem; veritus ne ſi quid ſtatuat etiam in grauiùs delinquẽtes, alienos patiatur & remiſſos: vt negligendarum rerũ metus robur illi omne adimat, & indulgentem etiam illum in criminibus ſuorum faciat. quæ res cùm aliorum prouocet æmulationes, obloquia, animorum alienationes, tum ad paria audenda animos addit; cùm ſinguli licere ſibi putent quod in alijs tolerari vident.

Vitabit hæc prudens Superior, cauebítq; omni ſtudio ne à quoquam ſuorum ita de-

pendeat, vt illius indignationem vereatur, aut alienationem metuat, aut induſtriâ carere non poſſit; cùm ferè neſcio quæ inſolentia aut imperandi etiam Superioribus libido, ex hac induſtriæ opinione naſcatur. cùm enim videant Superiores operâ ſuâ carere non poſſe, aut nō ſine grauis damni metu poſſe; omnia ſibi licere arbitrantur, nec quidquam eſſe quod indigus operarum iſtarum Superior non facilè conceſſurus ſit. Cũ enim illum emolumentorum ſpe, damnorumq́ue metu irretitum teneant, nil non audent, & quod audent impetrant. armati enim ad preces deſcendunt. ſpes & metus in humanis quid non poſſunt, & ad quæ non impellunt etiam magnos alioqui viros? Eripiat ſe ex hac ſeruitute Superior. faciet, ſi ſeriò ipſe omnibus incumbat, omniumq́ue ſibi cognitionem paret, vt imperare iam ipſe ſciat, factus ſibi magiſter.

Ac licet ſpirituali potiſſimùm ſuorum profectui incumbere Superior debeat, nunquam tamen ſolidè hoc conſequetur, niſi temporalium rerum omnium familiæ ſuæ certam cognitionem altè animo ſuo imbiberit;

Digitized by Google

biberit;eoq́; ſe deduxerit, ne ab aliorum ita induſtria,ore, peritia dependeat, vt ſcientiã ſemper & vbique ſuam mutuare ab aliis cogatur. cùm rerum in ſubditis cognitio,ignoratio in Superiore,animos illis addat, venerationem ferè minuat, metum tollat, libertati ianuã aperiat,æmulationibus oſtia pandat, oblocutionibus viam ſternat, imitationi aditum referet, odiorum materiam ſuggerat, ac religioſam denique diſciplinã omnem eneruet vireſq́; frangat. aut enim omnibus omnia concedenda, & vniuerſa proſternitur calcaturq́ue diſciplina; aut quod vni negligendarum rerum timore conceditur, negandum aliis, & mutuę conſurgunt animorũ alienationes, & quidquid è copioſo noxioq́ue malorum fonte euenire ſolet. Habeat ergo domi ſuę Superior quo ſe tueatur: habeat incluſum pectori ſuo agẽdarum rerum ſenatum, vt ſibi eſſe conſiliarius & doctor poſſit. ille magnus & feliciſſimus eſt, qui ex ſe habet, qu[illegible]ſe, ſuos, domeſticaque propugnet, foueat, augeat: infeliciſſimus ille, qui ab alieno ſemper ore, conſilio, manu pendet. ille .n. imperijs dãdis, hic accipiẽdis

ran-

tantùm natus eſt.

Non quòd omnia exequi per ſe Superiorem velim. grauis hic multorum error eſt. ſed neque illuſtria quæque ſolus amplectatur: vocet vltrò ſuos in partem gloriæ, etiam cùm poſſit illâ frui ſolus. incredibile dictu quantum hæc honoratiorum conſociatio ac participatio inferiorum animos Superiori obſtringat, quantóſque ad ardua quæque animos addat, ac prudentiam etiam doceat. cùm enim credi ſibi res vident virtutíque ſuæ committi, omni conatu elaborant ne quid non dignum tantæ in ſe fiduciæ expectatione committant, aut conceptam de ſe Superioris ſpem fallant, aut diffidentiæ cauſam præbeant.

Huc accedit, conſultiſſimum omnino eſſe plures rebus admoueri, ne ignari omnium reliqui ſint, ſi ſubita præuentus morte ſuos Superior deſtituat. quæ res ingentia ſecum damna trahere conſueuit, cùm ignoratio dux ad præcipitia ſit, [illegible] fœcūda damnorum materies. iam vt miſerrimi ſunt, qui omnibus omnia fidunt; ita infeliciſſimi qui perpetua in omnes laborant diffidentia. illi damna meri-

meritò vereri debent maxima, cùm plurima ſint quæ tutò committi non poſſunt omnibus: quod enim vni in ſalutem, alteri in interitum erit. vt in medica arte vſu venire videmus. qui verò perenni in omnes tenentur diffidentia, in æterno ferè metu verſantur, ſuſpicionibus tanquam fluctibus iactantur, anxietatibus tanquam validis in omne latus ventis impelluntur, omniúmque in ſe diffidentiam prouocant; qua enim alios manu, eadem ab alijs percutiuntur. ſed neque in viro incitamentum ad magna maius eſſe poteſt, quàm fiduciæ oſtẽtatio; vt hęc ſæpè ſola ſatis ſit ad magna audenda, magna peragenda. fidere Superiorem videt inferior? nulli parcet, non valetudini, non ſanguini. diffidentiam experitur? ignauo quodam ſopore inſepultus iacet, degenerémque viro vitam ducit. vt fiducia ſecũdus ſit ventus quo proſpero quiſque cũrſu optatũ ſperatúmq; portum tenet: diffidẽtia decumani fluctus, breuia, arena, ſcopuli, quibus deprimuntur, ſorbentur, diſſiliunt colliſæ rates. Prudens proinde Superior prouido ſuorũ delectu habito magna præ ſe feret fiduciæ argumenta, vt ad

ma-

maxima quæque ſuos impellat; ita tamen vt oculos ſemper ipſe intentos in omnem partem habeat, neque ideò rem negligat, quia alterius fidei concreditam; ſed prouida in omnibus circumſpectione, cùm nuſquam diffidentiam oſtendat, nuſquam vigiles oculos deponat. ita fiet, vt dum ille commiſſæ ſibi rei prærogatiua accenſus, digna huius fiducia pariaque referre conatur, & Superior in tacita perpetuò excubatione cõſiſtit, certò res omnes exituque plurimùm felici peragantur.

CAPVT IX.

Subditorum cognitio.

MOnemur à Sapiente Pro. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſq; greges conſidera.* Cecinit etiam in hanc rem Poëta: *Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.* Et Tacitus: *Noſcenda natura vulgi eſt, & quibus modis temperanter habeatur.* Noſti? facile imperium eſt. non noſti? nequidquam imperes. cognitio prudentiam parit, ignorantia ſtultitiam.

ab

ab illa prudens imperium, ab hac ſtolidum. illa ſecurum dabit, hæc mille erroribus & periculis implicabit: vt benè imperare benè noſſe ſuos ſit. Monet hîc D. Bonauentura Superiores: *Ad ſtatum debitum tenendum, conuenit vt rector ſubditorum mores, conſcientias & vires præcipuè cognoſcat, vt ſecundùm quod vnicuique expedit, eum dirigat & hortetur.* quam cognitionem cùm nec à ſola quantumuis ſeria ſuorum obſeruatione, nec à contubernalium denũtiatione habere Superior poſſit; conandum illi erit vt eam à propria cuiuſque narratione conſequatur, cùm ei ferè maxima pars ſapientis gubernationis innitatur: ſine qua fruſtra reliquum omnem conatum ſudoremq; profundet Superior, aut felicia prudentis moderatoris imperia ſperabit. Monet impellitque in hanc redditionem ſuos Baſilius Regu. 26. *Debet vnuſquiſque eorum qui inferiores ſunt, ſi quidem memorabilem vllam facere progreßionem ſtudet, & ad perfectionẽ vitæ illius, quæ præceptis Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt conſentanea, peruenire, cùm nullum animi motum apud ipſum celatum retinere, tũ in ſermone nihil non diligenti antè cura conſideratum proferre;*

ſed

ſed mentis ſuæ arcana aperire fratribus iis, quibus datum illud negotij ſit, vt adhibitis facilitate & miſericordia, ægrotantes curent: hoc enim modo fiet, vt & quod laude dignum ſit, in nobis confirmetur, & quod minùs probandum, congruo remedio ſanetur. Inſederat doctrina hæc altè Ægypti monachis teſte Caſſiano, lib. 4. cap. 9. qui ſpiritalis perfectionis fundamentum in eo ſternebant, vt nullas Superioribus cogitationes clauderent, retegerent omnes. atque hinc, eodem teſte, fiebat vt ſola tentationis manifeſtatio tẽtatione omnis, vt fumus, aut pulſę vento nubes, fugerent, nullo alio medicamento adiuncto. ſat validum nimirum medicamentum retectio eſt, vt ſola ægrum quo iactatur morbo leuet. tanta vis humilitatis eſt, tanta ſubmiſſi animi prærogatiua. Illud etiam habes apud S. Bernardum, Inſtru. 50. & 51. qui malas cogitationes cordi aduentantes, mox ad Chriſtum iubet allidere, & ſeniori patefacere.

Quare ſeriò in hanc rem incumbet Superior, prouocabítque inferiorem vt morbos, vulnera, pericula, damna, vitia iuxtà ac virtutes, animíq; in alterutram partẽ propenſio-

ſiones, clarè diſertéque explicet. quod vt feliciùs conſequatur, benignum facilémque ſe Superior oſtendat, ac in comitatem quandam effuſum, magna vbique ſuauitate, beneuolẽtia, humanitate, vt his fortibus prouocatiuis inferiorem ad plenam ſincerámque ſui retectionem pelliciat & adducat. ſciat peritorum medicorũ more inlatentia mala elicere, & ad extremas ignobiléſq; partes deducere, quæ in principes partes ſæuiebant, quo faciliùs minoríque periculo mederi poſſit. erumpentia mala & ſummam ferientia cutem, ſpem magnam dant valetudinis bonæ, vt viciſſe etiam credas medicum qui ab internis ad externa malum euocauit. & certum illud Gregorij eſt: Paſt. p. 3. c. 15. *Vulnera clauſa plus cruciant, nam cùm putredo quæ interiùs feruet, eijcitur ad ſalutem, dolor aperitur.*

Doceat proinde ægrum medicorum more pudorem ponere, ne verecundia pereat, qui mali propalatione curari poterat. ſanè ſciuiſſe ac retexiſſe malum propè curaſſe eſt. Induat deinde in omni hac re Superior affectum patris, omni iudicis perſona exuta. ſciat compati, commiſereri, ſolari, animare,

ad

ad meliora excitare, ſequaturque monentem Gregorium: Paſtor. 2. c. 5. *Tales ſe qui præſunt, exhibeant, quibus ſubditi occulta quoque ſua prodere non erubeſcant. vt cum tentationum fluctus paruuli tolerant, ad patris mentem quaſi ad matris ſinum recurrant, & hoc quod ſe inquinari pulſantis culpæ ſordibus prauident, exhortationis eius ſolatio ac lacrymis orationis lauent.*

Certam deinde fiduciam ſubditorum animis Superior ingerat tenaciſſimi ſecreti. quæ vna res à paterno animo profecta potentiſſimũ inductiuum eſt candoris. neque proditor filij parens eſt: magis etiam mala tegit, & ſi laudare non poteſt, non damnat.

Quòd ſi poſt acceptam conſcientiæ rationem plus etiam paterni affectus in eos qui ſe ſuaque planiſſimè retexerunt, Superior oſtenderit; nullo negotio in omnem ſinceritatem pectoriſque ac interiorum receſſuum nudationem, inferiorem impellet. Facit hoc Deus, & peccatorum poſt ſuſpiria lacrimaſque in æternum non recordatur ampliùs. nulla nimirum apud illum poſt gemitus, dolores, pectoriſque tunſiones, ſce-

lerum memoria eſt; quin & cęleſtibus auget erigitque donis, vt de pærogatiua delicto-rum plenitudo videatur. ita ouem quæ pe-rierat humeris bonus paſtor reducit. ſanè Petrum, Paulum, Matthæũ, Magdalenam, inter amiciſſimos & primos habuit. Imita-bitur Superior, mœrentemque ſuper imper-fecto ſuo inferiorem, morboſq; aut eorum pericula retegentem, inopiamq; oſtentan-tem cum Euangelico parente amplexabi-tur, vituloque ſaginato, oſculiſque veſtibuſ-que annuloque, omnibuſque lætitiæ ſignis lacabit, lætior poſt vulnera periculaque de valetudine & incolumitate, quàm de in-nocentia periculorum morborumque ig-nara.

Cogitet ſola verecundia periiſſe pluri-mos; ſoloque pudore, Superiorum moroſi-tate medendique acerbitate prouocato, ad malorum extrema noxio ſilentio delapſos. ita qui beneuolentia, humanitate, ac pater-ni pectoris ſeria candidaque nudatione cu-rari poterant ſeueritate & duritia, & incle-mentiæ opinione ceciderũt. Se proinde Su-perior cogitet & Deum, & iiſdem clementię

arti-

artibus, ijſdem patris amplexibus, adeóque & matris in ſuos vtatur vberibus, quibus (poſt non poſtrema etiam repetita crimina) vti in ſe Deum deſiderat. Certa hæc & falli neſcia omnis gubernationis bonæ, & benignæ, prudentis clementíſq; regula eſt. Non errabit proinde Superior, ſi ſe Deúmque ſeriò cogitet, morbos ſuos, vulnera ſua, delicta ſua; benignúmque illum, clementem facilémque in preces, ſerióque & vbique patrem & matrem. Imitetur Superior, & tam pronum ad omnẽ retectionem, inferiorem reddet, quàm effuſum ſe ad omnẽ humanitatẽ, comitatem, benignitatem oſtenderit. neque quidquam facilius eſt quàm inferiorem aut quemcunque etiam alium in candorem beneuolentiámque candore aut beneuolentia excitare. Gaudemus enim ſi quem nacti fuerimus in quem noſtra profundamus, in quem animi ſecreta, maláque tanquam in veri parentis amicíque ſinum, aut inter benignæ matris vbera, liberè tutóque expandamus. cùm duriſſimum ſit pectoribus perpetuò nocitura claudere, omníque in morbis medico, ac conſiliario in dubijs de-

deſtitui. vt verè dixerit Ambroſius l.1. Offic. c.16. *Solatium vitæ huius eſt vt habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas ſecretum pectoris.* Et Bleſenſis lib. de Amicit. c.2. *Quanta eſt ſecuritas habere cum quo loquaris quaſi tecum, cui cordis tui arcanum committere audeas, quem in tuis ſecretioribus habeas quaſi teipſum, cui omnia tua plena ſecuritate reueles?* Quod magis etiam locum habet in Superiore qui patris perſonam profitetur; quã ſi verbis factiſque prodiderit, nullo negotio ſuos in ſincerum candorem impellet. ſatis enim eſt concepta de Superiore opinio patris, vt ſe totos in paternum illius pectus effundant. quod vbi fit, prona ad remedia etiam in magnis morbis via eſt. neque enim facilè de ſalute periclitabitur, qui mala quibus premitur, tota recludit. nihil enim facilius quàm cognitis mederi, nihil difficilius quàm ignotis ſuccurrere.

CAPVT X.

Modus inferiores ad virtutem vitamq́; religioſam per Superiorum exempla ducendi.

S Dux

DVx ſuis ſit Superior ad virtutem, ad religioſam vitam, victum, veſtitum, corporis commoda, ad perfectionis ſtudiũ, ad vocationis integritatem & amorem, ad cõſtitutionum ac regularum accuratam obſeruationem, ad ea denique omnia quę merito à ſuis deſiderat, memor monentis Apoſtoli, *In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate*; & non magno molimine ſuos ad eadem impellet. ſequentur præeuntẽ, & vel ſola verecundia ſuadente, imitabũtur ducem. nulla certior ratio ad ardua ſuos deducendi, quã ſi ad difficillima quæque manum prior admoueat Superior: ſi nuſquam ſibi parcat; primus ipſe in aſperis, poſtremus in mollibus; in orationis, mortificationis, obedientiæ, paupertatis religioſæ ſtudio, in laboribus, in proximorum etiam ſalute procurãda, quantum officij ſui ratio permittit, primus. Bene S. Ephrem: *Nihil æquè animum hominis ducit ad ſalutem, iunioreſq; ad laborandum incendit, atque ſi doctorem reipſa & exemplo ad virtutem cohortatorem inuenerint. illa enim vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis*

vita

vita commendat: quia dum quid loquendo imperat oſtendendo adiuuat vt fiat.

Validius etiam ad magna ſuos incitabit ſi plus ſuis quàm ſibi indulſerit. quòd ſi ſolis ipſe verbis ſuos ad ardua prouocauerit, dux monitis non factis, fruſtra conatum adhibebit. fiat ex ſe magiſter, & facilis ſequela erit. neque verbis opus, vbi facta loquentur. benè loqui oratoris, benè facere Superioris ac ducis eſt. eloquentia ſubſellia ac roſtra deſiderat; facta campum. Prudenter S. Dorotheus Superiorem omnem monet: *Verbo & opere quæ agenda ſunt, illos inſtrue, & doce; magis tamen opere & exemplo: quoniã exempla multò ſunt efficaciora, & opera multò magis mouent quã verba.* nam ſi nuda proiiciat Superior verba viduata rebus, verum erit illud Chryſoſtomi: *Qui docet & facit quod docet, verè ille docet: qui autem non facit quod docet, non alium docet, ſed ſeipſum condemnat.* Et alibi: *Si doctor verbis quidem doceat ac philoſophetur, operibus verò contraria fecerit, nondum doctor eſt. nam iſthuc & diſcipulo facile præſtitu fuerit, nempe verbis philoſophari: ſed opus eſt admonitione & inductione quæ ſit ex ipſis operibus. Iſta quippe & doctorem*

venerabilem facit, & diſcipulum obſequentem.

Imitetur proinde Superior omnis magnos militiæ duces, qui primi in acie, in periculis primi, in arena, æſtu, ſudoribus, frigore, vigilia, parcimonia primi, pluſque dextera factiſque quàm voce hortantur. quòd ſi verba adhibenda, comitetur aut anteuertat etiam manu. ingens incitamentum facta ſunt; pluſq; exemplum in duce, quàm omnium oratorum verba poſſunt. plus enim elinguis factorum locutio, quàm innumera quorumcunque verbā fortiter iaculata, valideque proiecta ab omni æuo potuerunt. Et dictum verè: *Longum iter per præcepta, breue per exempla eſt*. Et illud S. Bonauenturæ de ſex alis, c. 6. *Doctrina verborum ſine exemplis operum eſt ſicut cæmentum ſine calce aridum & inualidum. (Ipſi leniebant parietem abſque temperamento, dic eis quòd caſurus ſit.) De correctis exemplaribus correcta ſcribuntur volumina, de corruptis corrupta: tenaciùs inhæret doctrina operum quàm verborum. nam cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur.* Hinc etiam illud Actorum cap. 1. *Cœpit Ieſus facere & docere*. Et Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego*

ego feci vobis, ita & vos faciatis. vt cùm omnis eius actio noſtra ſit inſtitutio, pręcurrant facta, ſequantur verba. Eſt in hanc ſententiam illud Plinij: *Melius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in ſe boni habent, quòd approbant quæ præcipiunt fieri poſſe.* Neque ſanè quidquã ad ſuadendum potentius eſt factis. Monet hoc Tacitus cùm arbitratur, *obſequiũ in Principem, & æmulandi amorem, validiora eſſe quàm pœnam ex legibus.* Et Velleius lib. 2. *Rectè facere Princeps ciues ſuos, faciendo docet.* Huc ſpectat illud Gregorij Paſt. p. 3. c. vlt. *Plus actibus quã vocibus inſonet, & benè viuẽdo veſtigia ſequacibus imprimat, vt potiùs agendo quò gradiatur oſtẽdat. priùs ſtudio bonæ actionis euigilent, ne in ſemetipſis torpentes opere, alios excitent voce. prius ſe in ſublimia facta excutiant, & tunc ad bene viuendum alios ſollicitos reddant. priùs cogitationum alis ſemetipſos feriant, quidquid in ſe inutiliter torpet, ſollicitá inueſtigatione deprehendant, diſtrictá animaduerſatione corrigant, & tunc demum aliorum vitam loquendo componant. priùs punire propria fletibus curent, & tunc quæ aliorum punienda ſunt denuntient. & antequam verba exhortationis inſonẽt, omne quod locuturi ſunt, operibus clament.*

Hinc eſt illud eiuſdem. Paſt. p. 2. c. 7. *Languente capite incaſſum membra vigent, & in exploratione hoſtium fruſtra exercitus velociter ſequitur, ſi ab ipſo duce itineris erratur.* Et illud: p. 1. c. 2. *Ipſa in magiſterio lingua confunditur, quando aliud diſcitur, & aliud docetur: quod verbis prædicant, moribus impugnant. vnde fit vt cum paſtor per abrupta graditur, ad præcipitium grex ſequatur.* Benè & fortiter in terrorem Chryſoſtomus: in 23. Matth. *Benè docendo & malè viuendo, inſtruis Deum quomodo te debeat condemnare.*

Magnus ſanè veruſque militiæ dux factis monita anteuertit; pluſque manu quàm lingua inhortatur, plus ſudoribus ſanguineque quàm verbis prouocat. parcet non rarò ſuis, ſibi nunquam: indulgebit ſuis, nuſquam ſibi. & pro ſalute ſuorum, læto hilarique vultu animã ponet: neque enim poterit glorioſiùs. Ignauus verbis ſuis commonebit, manum à laboribus retrahet; in effuſum ſuos ſudoré pellet, parciſſimus ipſe ſudorum; indignabitur otio alieno, gaudebit ſuo; ignauiamque accuſabit ſuorum, delectabitur ſua; ſpectator factus diligentię ſuorum,

rum, nec vltrà. nam nec virtutũ factorumq́; fortium præmiator erit: neque enim ſperari ab illo pręmia poſſunt, qui cùm virtutem in ſe ignoret, in alio erubeſcit. nec ſanè quiſquam in alio præmiare conſueuit, quod ipſe damnat. damnaſſe aut non probaſſe videri debet, qui cùm potuit, non eſt amplexus. refugit quis labores? non amat. amplecteretur ſi amaret. cùm non amplecti dum poſſis, aſpernari ſit. & quomodo præmia ſperari poſſunt à non amante? ita fit vt cũ in deſide Superiore exempla deſint, laborumq́; præmia, deterreantur ab illis inferiores. nulla enim ſine duce fortia ſperari facta poſsũt. ſubtrahitur nimirum glorię victoriæq́; materia, cũ duce exercitus deſtituitur. vincere vis? ducem para, cuius fortia & altè impreſſa antambula veſtigia, ſudore ſanguineque etiam ſignata & irrorata, generoſior premat miles, ſudore illius ſanguineq́; in ſudorem ſanguinemque prouocatus; quem cum voluptate effundet, ſi ducis ſui viderit. cùm contra ſub ignauo duce torpeat miles. indureſcunt nimirũ membra laboribus; & callũ etiam induunt, quib. cum duris aſperiſq́. familiaritas

quædam interceſſit. langueſcunt verò otio membra, diffluúntque tanquam ſi proieceris aquã. exercitatione verò indurata, gaudent aſperis, & ſudor illis ſanguíſque pro gloria, deliciíſque mollíque ſtrato eſt. ſuauia leniáque vt indigna viris cælóque auerſantur.

Hunc animum æterna dignum memoria Deóque à duce ſuo hauriet miles, à Superiore inferior. prior audeat ille, audebit ſubditus. fortia illius fortiter, lenta lentus veſtigia teret. denique qualem Superiorem dederis, talem inferiorem dabo; ſtrenuum, ignauum. & fruſtra alia ſperanda ſunt. ſub vigili capite excitata membra, ſub torpenti torpentia enaſcuntur. generoſum nimirum ſemen generoſam ſobolẽ dabit; ab ignauo languidóque nonniſi paria ſperanda ſunt. nemo è rupibus mella, è roſis venena legit. quale germ:ẽ talem fructum exſpecta: arboris naturam poma ſequuntur. Idem in Superiore cõtinget. ſequetur illum inferior; fortem fortis, ignauus ignauum: vt tota à Superiore res pendeat, vt verè in hãc rem Iſidor. Peluſiota, li. 2. ep. 209. *Ita natura comparatum*

eſt,

eſt, vt ad eius qui præeſt ſimilitudinem, ij qui parent, ſeſe effingant.

Damna verò quæ à Superiorum prauo exemplo ſequuntur, paucis complexus eſt Cicero lib. 2. de legib. *Vitium* ait, *non ſolùm ipſi Principes concipiunt, ſed etiam in ciuitatem infundunt, pluſq; exemplo quàm peccato nocet.* Proniorem verò per vitia quàm per virtutem ſequelam eſſe docet Nazianzenus orat. 1. nũ. 24. *Illud exploratum habentes faciliùs eſſe vitium contrahere, quàm virtutem impertiri, quemadmodum facilius eſt morbo infici, quàm ſanitatem largiri.* Et res ipſa nimiùm nos docet: multis opus eſt ad virtutem, exemplum vnum ſatis eſt ad improbitatem. Quanto verò ſe ſcelere obſtringant Superiores, duces, crimine facti, diſcimus à Gregorio Paſtor. par 3. c. 5. *Scire prælati debent, quia ſi peruerſa vnquàm perpetrant, tot mortibus digni ſunt quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. vnde neceſſe eſt vt tanto ſe cautiùs à culpa cuſtodiant, quanto per praua quæ faciunt, non ſoli moriuntur, ſed aliorum animarum quas prauis exemplis deſtruxerunt, rei ſunt.* Fortiter dicta: fortiora etiam, ſera pœnitentia, nullíſque lacrymis emen-

Digitized by Google

danda, in non morituris flammis ſequentur in his exemplis tormenta. Iam qui animas cogitat, quique harum prꝍſtantiam è Chriſti ſanguine; felicis æternitatis abdicatione, infelicis in omnem æternitatem adiudicatione, metitur; facilè videt quam pœnam mereantur, quantuſque illos ignis maneat, qui exemplo ſuo commiſſas ſibi animas in ſalutem, ducunt in interitum; quas tam prodigo ſanguine Chriſtus ſibi cæloque parauerat. Quid reſponſurus eſt Chriſto iudici Superior concrediti ſibi gregis rationē poſcenti? ſi perdidit quos paſcere debebat, proiecit fouēdos, pro nutritio latro factus, pro parente carnifex? miſerum ſanè eſt ſuo crimine perire, miſerrimum ſuo & alieno. nec commiſeratione dignus eſt quiſquis in alieno ſanguine & anima exemplo ſuo ludit. nō ſunt hi ludi cùm de æternitate agitur. Iam cùm Superiorum exempla eant in poſteros, creſcente, vt fit cum ꝍtate, prꝍuaricatione ac malitia, creſcit in Superiore delicti grauitas; cui cùm commenſurentur pœnꝍ, nemo nō videt quantæ imprudentiæ ac temeritatis ſit ad vitia præluxiſſe, viamque ad infeli-
cem

cem æternitatem ſtrauiſſe, adeoque exemplo ſuo ad illam impuliſſe, qui debebat ad virtutem & cælorum gaudia.

CAPVT XI.

Diligens aſſiduaq; orationis exercitatio.

ORationis tam mentalis quàm vocalis magnam curam habeat Superior, ſi ſtare ac perennare ſpirituale ædificiũ volet. hęc enim ſpiritualis corporis anima quædam ac vita eſt, à qua quantum quiſque decerpſerit, tantum à vita detraxerit; quantumque plus conceſſerit, tantum plus ſanguinis boni dederit. vt meritò Chryſoſtomus: l. 1. de orando Deo. *Si quis dicat animæ neruos eſſe deprecationem, mea quidem ſententia verum dixerit. quemadmodũ enim corpus neruis cohæret, viuit, currit, ſtat, & cõpactum eſt, adeo vt ſi neruos incideris, vniuerſam corporis harmoniam diſſolueris: itidem animæ per ſanctas preces ſibi conſtant & compinguntur, ac pietatis curſum facilè peragunt quid itaque maius aut diuinius obtingere poſſit, quam deprecatione, cùm hanc animis*

ægrotantibus pharmacum quoddam eſſe liqueat?

Oratione ſtante ſtabunt non magno molimine reliqua: cadente cadent pariter, vnáque ruina ſepelietur, quidquid ſuperinſtructum fuerat. neque enim oratione pulſa aut exulante conſiſtere diu Religio poterit, aut valetudinem ſuam tueri: nam cum oratio id ſit animæ quod cibus corpori, facilè videas non poſſe diu animam ſtare alimento ſuo deſtitutam. Vis illam viuere? vis robore ac viribus creſcere? paſce & foue. paſtus illi & fomenta ab oratione veniunt. vis à domo abeſſe murmurationum, oblocutionum, detractionum, diſſenſionum materiam? fac vt orationis ſtudio ſeriò incumbant omnes. ex hac enim ſola incitamenta proſiliunt virtutum, ac generoſa ad ardua queque obeunda monita. hac indomiti frãguntur affectus, aut ſanè ſub freno continentur, neq; libera illis excurrendi in quẽcunque campum ſpatia permittuntur: hac vna ſolidis ornamur virtutibus, exuimur vitijs. hac domi foriſque inſurgentibus tentationibus, hoſtibuſque ſuperiores ſtamus, victricéque huius manu, triumphum de

carne,

carne, mũdo, diabolo ducimus. hac opprimuntur inſurgentes affectus praui; retunduntur malignæ propenſiones, eruuntur habitus mali. hæc in aduerſis præſidium, in ſecundis frenum, in mœroribus ſolatium, in effuſionibus temperamentum, in ſperatis auxilium, in deſperatis aſilum, in vulneribus morbiſque medicina, in mentium tenebris ſol vnicus, in erroribus dux certus, in ignorantia magiſter, in teporibus calor, in frigoribus ignis, in languoribus robur eſt, vt meritò moneat D. Bonauentura de ſex alis, c. 8. *Sicut nauta præuidens tempeſtatem, feſtinat ſæpius ingredi portum ſecurum: ita Religioſus ad orationis portum continue confugiat, vbi omnes periculorum colliſiones euadat, & in omnibus agendis ſemper plus orationi fidat quàm propriæ induſtriæ & labori.* 2. Paral. 10. *Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui vt ad te oculos noſtros dirigamus, in oratione nimirum ad Dominum, à quo conſilium omne ac robur exſpectandum.* Et Chryſoſtomus. ad po. Antioch. hom. 41. *Armis nobis opus eſt, magna verò armatura oratio. opus eſt ventis à puppi, opus omnia diſcere, vt diei ſpatium abſque naufragiis & vulneri-*

bus tranſigamus. multi namque per dies ſingulos ſcopuli & frequenter illiditur ſcapha, & ſubmergitur: propterea nobis opus eſt oratione, matutina præſertim & nocturna. Exemplis vim illius confirmat Auguſtinus; ad frat. in Eremo, ſer. 22. *Quàm grandis eſt ipſius orationis cauſſa, quàm grande myſterium: Ecce Moſes orabat in monte, & Ioſue Amalechitas deuincebat. per orationem Ezechias ſanatur, & ſalutem animæ & corporis adipiſcitur. per orationem Saulus efficitur Paulus & doctor Gentium. Ieremias conſortatur in carcere. Daniel inter leones exultat. Iob in ſterquilinio nudus triumphat. Suſanna inter ſenes defenditur. paradiſum de cruce latro inuenit. Stephanus de torrente in cælum ſuſcipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.*

Ab oratione deinde ingens humanarum rerum faſtidium naſcitur, honorum, opum, voluptatum contemptus ac proculcatio, felicibuſque huius auſpicijs ad cælorũ deducimur gaudia, theſauros, gloriam. hac diſcimus quantum terrenis diuina anteſtent, quantum caſtiſſimę diuinorum voluptates, honores, opes, reliquaque momentaneis potiora ſunt. hac vna cæleſtem quandam

fa-

ſapientiam, omnibus dęmonũ dolis, fraudibuſque ſolertiaque ſuperiorem mercamur, diſcimuſque res ſuis momẽtis, vera intimaque non fucata aut mentita æſtimatione metiri. hac vna iungimur Deo, diſiungimur mundo; innatamuſque cæleſtibus vndique delicijs, tanquam fluminibus immerſi: incipitque homo in hac mortali carne beatis cælorum mentibus miſceri, ibi fortunatam ſtationem figere diuinorum particeps gaudiorum; tũc deſipiunt terrena omnia, & maior ſeipſo animus ſupra omnia creata ad immortale & interminum ſe lumen erigit, cupitque diſſolui, & illi vni æternum iungi, vt diſruptis hiſce carneis vinculis æternùm illi ſocietur. ab hac felices illæ mentium potationes ac cibationes, adeoque & fortunatiſſimę inebriationes profluunt; cum à vino & cælorum torcularibus ebriæ nil præter ſponſum ſuum ſapiunt, nil ambiunt, nil loquuntur, nil cogitant, nil ſuſpirant, nil deructant aliud.

Quo magis inuigilandum Superiori eſt, vt cum Sapiente: Eccli. 9. *cor ſuum tradat ad vigilandum diluculo ad Dominum qui creauit* il-

illum & in conſpectu Altiſsimi deprecetur. aperiat os ſuum in oratione, exclametque cum regio Propheta: Pſ. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* & Pſ. 87. *mane oratio mea præueniet te.* Hinc illud Auguſtini: *Optimum huic operi matutinum deputari tẽpus, id eſt, meliorem diei partem.* In quam rem primum ſeipſum prouocabit Superior: qui ſi D. Bonauentura monente, de ſex alis. c. 8. *præpeditur variis curarum diſtractionibus, ſpeciali deuotioni ſæpius intendere; ſaltem interdum cùm oportunè valet, quaſi furtim & raptim ad orationis ſtudium ſe conferat, ne omnino refrigeſcat, ne in deſuetudinem orandi veniat, ne Deo alienus efficiatur, ne gratia diuinæ propitiationis ei quaſi inſenſibiliter ſubtrahatur. vnde Moyſes cùm per populi negotia vexaretur exterius, crebrò in tabernaculum fœderis ad Deum recurrit, familiare illius colloquiũ ibi expetens, quo intrinſecus in ſpiritu reficeretur, & licèt parua detur mora Prælato orandi, tamen quia pro aliis debet ex officio orare, datur ei quandoque propter alios copioſior orandi gratia, vt quibus prodeſt agendo, poſsit etiam orando prodeſſe: tantùm non negligat quærere, nec abiiciat cùm offertur, ne ex merito ingratitudinis ab eo gratia e-*

lon-

longetur.

Dabit deinde operam, vt ſtata omnia in Religione orationũ tempora ſeriò ab omnibus peragantur: cùm tanta commoda vna hæc exercitatio, tantáque eiuſdem neglectus damna ſecum ferat, & à qua, pulſo torpore deſidiáque, diligenter peracta, omnia ſpiritalis vitæ emolumenta meritò ſperari poſſunt; quáque neglecta, omnia ſpiritalis vitę damna & excidia demum iurę metuenda ſunt. vt audeat Ephrem prorumpere in hæc verba *orationem operi præmiſeris, & ſurgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.*

Neque hîc aut ingenij tarditas, aut viriũ imbecillitas adferri, aut admitti in excuſationem debent. nemo tam rudi ingenio, aut tanta complexionis tenuitate eſt, qui ſi horulam vnam continuæ meditationi dare nõ poſſit; piæ ſaltem lectioni, cui per interualla mentales ſermocinationes miſceantur, dare non poſſit; aut ſanè cæleſtibus quibuſdam aſpirationibus frequenter repetitis, horulam vnam explere non valeat: neque cuiuſ-

quam

quam ea virum tenuitas eſt, vt denſatis aſpirationibus, aut vocali orationi horulam per diem vnam impendere non poſſit. Habes de his monentem Chryſoſtomum: *Si per interualla crebris precationibus teipſum accendes, non dabis occaſionem diabolo, aut vllum ad tuas cogitationes aditum.* Et alibi: *Breues & frequentes orationes fieri Chriſtus & Paulus præceperunt paruis ex interuallis. nam ſi ſermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapſus, multam ſubrependi diabolo facultatem dederis, & ſupplantandi & cogitationem abducendi de his quæ dicuntur. Si verò continuas & crebras orationes facias, totumq; tempus interpolans frequentia, facilè poteris modeſtiam exhibere, & ipſas orationes cum multa facies ſolertia.* Et Caſſianum: *Vtilius cenſent breues orationes ſed crebriores fieri. illud quidem, vt frequentiùs Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere poſſimus: hoc verò, vt inſidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè, cùm oramus, inſiſtit, ſuccincta breuitate vitemus.* Quicunque tamen longiorum meditationum exercitationes admittere poſſunt Chriſti pernoctantis in oratione exẽplo, animandi ac propellendi ſunt; cũ certũ

ſit

ſit ab his ferè felicem infelicémque Religionis curſũ pendere. his enim ritè manè peractis, in reliquũ diem roboratur mens humana, & armatur in hoſtes: his incaleſcunt animi, & cæleſtiũ deſiderijs inflammantur, doniſq́; gratuitis inſtruuntur, cæleſtiq́; quodam rore in omnem virtutẽ fœcundantur.

Accedit à primis propè omnium Religionum inſtitutoribus frequentatam hanc mentis cum Deo ſermocinationem fuiſſe, ſiue pijs quibuſdam ingenij diſcurſibus ac ratiocinationibus animum terrendo roborando, colluſtrando, in amorem impellendo; ſiue ſolius voluntatis affectibus, frequẽtatis ab imo corde ſuſpirijs in amoris quaſdam delicias rapiendo; ſiue è nobili vtriuſque potentię, intellectus ac voluntatis miſtura; docendo ac inflammando; dum ad ea quę ingeniũ felici fœcũdóq; partu inuenit, volũtas excitata, in amicos ſibi affectus prouocatur: quibus ſi bina per diem conſcientię examina accedant, non facilè in deteriora Religioſus labetur. nã qui manè ſeria meditatione pectus ad virtutẽ firmauit, ac cõtra vitia obfirmauit, Miſſę deinde ſacrificio

ſeu

ſeu obeundo ſeu audiendo mentem pauit, antemeridiana denique ac nocturna conſcientiæ examinatione, ſe ſuáque in omnem partem diſcuſſit; factus ſibi ipſi iudex; aut in grauiora non corruet, aut diutiùs ijſdem nō inhærebit. toties enim animus die vno ſpiritualibus his alimentis paſtus ac roboratus, neque exareſcere, neque ſuperari ab hoſte poteſt: maximè ſi frequētibus per diem piis ad Deum ſuſpirationibus quaſi continuo filo ſpiritalis illas exercitationes adnectat; quibus tanquam perennibus in orbem propugnaculis firmetur, memor ſemper & vbique ſui, futurorum, omniaque intuentis Dei.

Denique ſi tacitus ſæpè ſecum cogitauerit Superior, nullum à Religione ad ſæculū ſæculíque mores commigraſſe, qui non priùs à meditationis ac orationis ſtudio ad earumdem neglectum tranſierit; nullúmque orationis ſerium obſeruatorem, aut cecidiſſe, aut in lapſu diu ſtetiſſe; nullum in Religione magnum ad magna ſine hac ductrice conſcendiſſe, nullum virtutibus clarū, nullum Deo tenero quodam aut filiali aut ſpōſæ

ſæ affectu coniunctum; nullúmque miraculis vitæque ſanctimonia illuſtrem, orationis præſidio deſtitutum vixiſſe; non difficulter ſe ſuóſque ad feruidum orationis ſtudium impellet. bonorum enim malorúmq; tanta ex proſecutione huius aut deſtitutione copia eſt, vt non opus ſit penitiore inueſtigatione: res ipſa loquitur. Sanè nemo tam altè, extra aut in ipſa etiam Religione ſtetit, qui ab orationis neglectu non altiùs ceciderit quàm ſteterat. nemo tam vilis aut ingenij tenuis & abiectæ conditionis fuit, qui non hac vna maximos quoſque eruditione, facundia ac prudentia claros, in verarum virtutum ſtudio ſuperauerit.

Totum ſe proinde Superior, orationis ſuorum obſeruationi impendet. frequenter de hac priuatim cum ſingulis, publicè cum omnibus ſermonem miſcebit, vtilitatem neceſſitatémque explicabit. eadémque per domeſticum Confeſſarium, alióſque viros maturiores, orationis pietatíſque ſtudioſos, ſiue in priuatis colloquijs, ſiue in domeſticis exhortationibus exequetur; operámque dabit vt nulla cuiquam dies ſine ſpiritualis

libri

Digitized by Google

libri lectione tranſeat; cui certum aliquod tempus deſignari vtiliſſimum foret. libri etiam iunioribus à Superiore aut domeſtico Confeſſario præſcribendi, ne affectu potiùs quàm neceſſitate ducti, ijs legendis diſtineantur, à quibus plus curioſarum ſcientiarum quàm ſpiritus & ſolidæ pietatis hauriant. Conſultumque ante omnia fuerit è maturioribus aliquem deſignari, qui orationis tempora ac ſingulorum in hoc genere ſtudium obſeruet, Superioremque moneat; ipſumque adeò Superiorem non raro hoc munus obire. calcar enim non leue ad omnem virtutum addit Superioris vigilantia: dum enim ſe ſuaque obſeruari ſinguli à Superiore arbitrantur, offenſiones cauent, diligentiam adhibent: & quæ à timore ac illius veneratione nata erant, paullatim in naturam abeunt; ac ſine ductore iam, monitore, obſeruatore placent, ſtudioſeque exequuntur; & amore quodam conſuetarum rerum proni auidéque in eos magno conatu affectúque feruntur, facti ſibi vſu quodam magiſtri ductoréſque.

Digitized by Google

CAPVT XII.

Mortificationis ſtudium.

MAiorem etiam mortificationis curam habeat Superior. nam in ſola oratione ſtetiſſe, nec ad mortificationis exercitationes tranſiiſſe, idem eſt ac ſi quis intra domeſticos parietes velitetur, arma paret, exercitus aut comitetur aut ducat, hoſtem feriat, quem nunquam nuſquam viderit: miles eſſe qui volet, inimicum experiatur ferrum, cominus arma, dextram dextræ, pedē pedi conferat, hauſiſſe & dediſſe ſanguinē, militis eſt. aſſueſcat duris, neque è molli pluma, aut puluinarib. ſed à ligno aut lapide aut nuda humo exurgat in hoſtē. Idē faciat noſter miles; non ſolum orationum deliciis ſuauibúſque illius commonitionibus, ſed difficilium vſu animum ad magna paret. nam vt multum in ſuadelam poſſit oratio, facta tamen potentiùs inhortantur. illa ducit, hæc rapiunt, & languido vires animoſque addunt ad magna. Sanè debiles non pau-

paucos corpore, aſſidua exercitatione indurari ac roborari videmus. Idem faciet mortificationis ſtudium. inuigilabit proinde huic Superior, quo maioribus viribus, in hac ſpirituali lucta incurſantibus vndique hoſtibus indigemus. prudenter tamen ac moderatè: vt ſuorum firmet, non frangat animos. à paruis primùm initijs, per mediocria ad magna ducet; vires ſingulorum metietur; ac præibit ipſe ſæpè, ac manu quaſi militem ſuum vt pater filium ducet. ſi viderit oneri ſuccumbētem, temperabit, minora imperabit: laudabit tamen conatum; ac ſi quid generoſius ac tanquam ſupra fortunam egerit, ad paria aut maiora etiam prouocabit. Sæpè præmeditato & exſpectanti ac vltro depoſcenti aſperiora iniungat, nec raró præter opinionem ac exſpectationem, quædam ingerat, vt è ſubitis diſcat quid animo reconditum lateat. Sanè *ſua ſponte*, teſte Dorotheo, *ad vilia quæque exercitia currere non eſt admodum magni profectus: quin etiam fieri poteſt vt inanis & vana ſit gloria. at cum vile tibi aliquid ac contemptibile præcipitur, neque repugnas aut contradicis, ſed in omni man-*

manſuetudine & obedientia iuſſa capeſſis & facis, tum ferè illud ſit ad profectum.

In qua re non exigua prudentia opus eſt, vt diſpiciat Superior, quem per hæc improuida exercitamenta ducat. neque enim omnium eſt. quare non poſtremam habeat antè per crebras vltroneas ac ſpontaneas mortificationes experientiam illius, quem per hæc inopinata, maximè ſi ardua ſint, deducit. in quibus ſi ſenſerit ſuccumbentem aut reluctantem, frena remittat, & aliò curſum flectat. tentet deinde commodiore tempore, totque repetitis interpolatiſque vicibus rem aggrediatur, donec tandem militem ſuum ſubitis imperatiſque his aſſuefaciat.

Quòd ſi quem repererit vniuerſim ad imperia hæc omnia fortiter recalcitrantem, ſolaque oratione ac alta quadam mentis tranquillitate contẽtum, reliqua retrectantem aut refugientem, ſedulò periculorum monebit. oſtendet orationem mortificatione deſtitutam, dæmonum ferè illuſionibus patere, iudicij noxiam quandam tenacitatem ingenerare, obedientiæ frena excutere, aut ſanè laxare, aliorum contemptum ad-

T du-

ducere, omnibuſque propè periculis ſubiacere. Sanè qui in ſola oratione deliteſcit mortificatione neglecta, nec ſubeſſe nec præeſſe tutò poteſt: ſed ſolitariæ magis quàm ſocialis vitæ idoneus cultor erit. in quo vitia non tam ſuperata quàm ſopita iacent: accedat excitator, & exurgent etiam validiùs quæ latebant mala: cruda enim & in viridi ſuo robore tanquam in ſtabulo ſuo equi ferociam premunt, quam educti campo dato euoment.

Qui verò per mortificationum varias exercitationes efferueſcentem animum, efferoſque illius motus domuerunt, ad omnia natos arbitrabere. dura, mollia; aſpera, lenia; ardua, & facilia iuxtà habebunt: docti in omnem fortunæ ventum vela flectere; pariq; vultu quamcunque incurſantem, ſecundam an aduerſam excipient. inſurgant cælo terriſque minitantes tempeſtates, hoſtes, exilia, verbera; ferent: & cum difficultatibus animos induent, vt illis quaſi per gradus creſcentibus increſcant animi, ac ijſdem paſſibus exurgant. his omnia imperari poſſunt, omnia credi. delectantur nimirum arduis, &

ma-

magnam gloriæ ſuæ partem putant, ſi diffi-cillimis committantur. Idem euenire videmus militi, qui quo generoſior, eo ardentiùs difficilia appetit, infima negligit vt virtute ſua indigna; & contemni ſe arbitratur, ſi minimis componatur; gaudet arduis, in quibus robur oſtentet; & exultat voluptate plenus, ſi ducis ſui ſententia dignus habitus fuerit qui per armatos hoſtes, per denſata agmina, per circumſtrepentes globos, per ſtridentia vndique tela, mittatur in mortem, glorioſiùs inter hoſtiles acies, quàm in lecto animam poſiturus.

CAPVT XIII.

Regularum omnium ſeria obſeruatio.

REgularum conſtitutionúmue obſeruationi ſedulò Superior inuigilet: cùm ab hac prudens in vnoquoque Ordine gubernatio dependeat. ſapientibus Maiorum placitis inhæreat, nec ad ſiniſtram ab ijs aut dextram deflectat, non gaudeat nouis à ſe in-

Digitized by Google

inuentis, aut ab alijs mutuatis; ſed fortiter primis quibuſque inſtitutis inhęreat. nec patiatur ſe quocunque etiam pietatis prætextu ab ijs abduci. quantum enim ab ijs deflexerit, tantum ſe ſciet à propoſito ſibi fine aberraſſe. ſingulis enim viuendi normam Spiritus ſanctus peritiſſimus Ordinum ductor & inſtructor tradidit; præfixitque in auctoribus limites, quos tranſgredi, fatui, temerarij arrogantiſque animi, pluſque de prudentia ſua quàm de Deo fidentis ſignum eſt.

Nec infimis minùs quàm maximis incumbat Superior, certus regulas vtraſque à Deo proueniſſe. pari proinde eas cura ac ſollicitudine tuebitur; eo magis quo à minimis quibuſque non à maximis Ordinum diſcrimina ſumantur. in his omnes propè pariantur. à minoribus diſparitas naſcitur. tãquam ſi quis eiuſdem generis veſtes vario intertexat ornatu, à quo elegantiam & venuſtatem ſingulæ accipiunt. Et *quamuis in his non tanta vis ſalutis exiſtat, quaſi ſine eis non ſit ſalus, tamen tranſgreſſio eorum deformat Religionis decorem.* addit Bonauentura de ſex alis, ca. 3. *Cauenda eſt negligentia exterioris diſciplinæ, cuius deſertio*

ſi-

ſignũ eſt neglectæ conſcientiæ, & interioris leuitatis.

Cogitet deinde Superior à minorũ neglectu ad maiora ſenſim delabi: ita à ſcintilla contẽpta flamma exoritur, & vrbes ab illa iã nullæ. à leuiſſimo morbo aut vulnere ſecuta mors, contemptorem ſuum in exemplum infelici exitu poſteritati dedit. & tenuiſſimæ res quantam non rarò ſtragem familijs regniſque dederũt? vt plus perſæpè à minimis, quàm à maximis periculi ſit. hæc enim prudentior quiſque refugit, neque facilè ſe in apertam improbitatem cõijcit. minima dum non timentur, incautos perimunt. ſanè plùs metuendus qui ex inſidijs exurgit hoſtis, quàm qui armatus aperto decurrit campo. Quare prudens Superior, licet omnem hoſtem metuat, maiori tamen ſollicitudine minimo inuigilabit; certus plus ſępè ab hoc periculi prouenire quo natura ſua minor. maiora metus comitatur. ad ardua enim armamur; inermes ad minora decurrimus: quare inexſpectata ab his dãna accipimus. ita & rarior ab ingenti præcipitio lapſus eſt, cũ periculi magnitudo cautiores nos reddat.

Omnibus proinde prudens Superior in-

 ten-

tentum animum habebit, ſi ſibi, ſi familiæ, ſi Religioni conſultum volet; memor eo magis minimo næuo corpus deuenuſtari, quo nobilius fuerit. nobiliſſima verò Religionum Ordinumque corpora eſſe, nemo dubitare poteſt, qui ſingulari illa prę reliquis prærogatiua, Dei manibus in glorię ſuę propagationem proximorumque ſalutem delecta ac figulata cogitauerit. quo maiore in omnem partem ſollicitudine aduigilabit Superior, dabitque operam, ne vitio, conniuentia, neglectu ſuo, non reparanda damna contrahat. nolo moroſum omnium exactorem, nolo tetricum ac faſtidio plenum; prouidum volo, verboque vultuque hilaritatem præ ſe ferentem. nolo perpetuum in acerbioribus monitis, vt in ſingulis exurgat tanquam ſi de iugulo agatur. neque enim in omni morbo, ſectionibus ac aduſtionibus opus. imò nunquam aut perrarò his opus, ſi principijs manum medicus admoueat. leni remedio initijs occurritur. non ſtatim proinde exurgat Superior in iras; imò nunquam in illas exurgat. ſemper ſe medicum cogitet, qui licet ægroti culpa malum contractum

fuę-

fuerit,non indignatur,aut acrioribus verbis increpat.medetur malo, amicamq́; manum morbo aut vulneri adhibet. Idem faciat Superior; nec ſemper, nec ſtatim decurrat ad pœnas; diſſimulet aliquãdo, ne ad frequentata callum obducat inferior, ne ruborem exuat. emendationis dux verecundia eſt. Quædam nonnunquam intacta tranſeat; quædam ſolo nutu corrigat; alia tanquam ignorata prætergrediatur; in alijs ſola maturioris, & ad ſeueritatem tendentis vultus compoſitione diſplicentiam oſtendat. aliquando vniuerſim aut priuatim per ſe aut alios moneat; per Confeſſarium maximè, aut ſi quem familiariorem è domeſticis virum cordatum & fidum habeat qui deliquit.mirum quantum ſępè ad emendationẽ valeat,ſi inferior à Superiore ignorari errorẽ ſuum arbitretur. In paruis etiam delictis, ſi à plurib.frequententur,optima corrigendi ratio à publicis reprehenſionibus ſumitur,in ijs quæ in aliorũ oculis commiſſa ſunt.docẽtur enim in paucis omnes. ſed dexteritate quadã hîc opus ac ſuauitate, ne durioribus exaſperẽtur,& pro emẽdatione exacerbatio

ſequatur, & incrudeſcat malum. quare rariùs etiam hoc remedium adhibendum, ne eat in conſuetudinem, & frequentia ſua paulatim vileſcat: minùs enim frequentata mouent, & venena etiam, ſi frequentaueris, in alimenta vertuntur; ſemelque depoſitus rubor magnam meliorum ſpem tollit. vt non exigua circumſpectio neceſſaria ſit in eo qui mederi malo cogitat. temporis nimirum, perſonarum, ſociorum, loci, aliarumque circumſtantiarum ratio habenda eſt. Et ſanè imperitiſſimus medicus ſit, qui in omnibus & ſemper ad ignem & ferrum decurret. perimit talis, non ſanat. Idem in Superiore cogita: non eſt Superior, non pater, ſed dominus & iudex, qui ad ſeueriora remedia in minimis quibuſque deſcendit; qui nuſquam parcit; qui ſemper flammas & ſecures intentat. Pater ſi Superior fuerit, paternam in filiorum delictis manum admouebit. indulgebit non rarò, ita tamen ne indulgentia licentiæ cauſam præbeat, & iterare non pudeat quod indulgeri viderint. quare monebit Superior, ac puniet etiam vt pater: quòd ſi quando grauioribus medicamentis vtendum;

dum; filium tamen ſuum ægrum cogitabit, & ſe patrem iuuare velit, non perdere; mederi, non perimere. etiam dum vrit & ſecat, vri ac ſecari filium cogitet; vt nonniſi in ſalutem ferro vtatur. quòd ſi quando iudicis perſona aſſumenda fuerit, exuenda patris: clementia tamen ſectionibus miſceatur, vt hominem ſemper ſe meminerit, &, ni potentem manum inijciat Deus, ad deteriora pronum.

Ac ſæpenumerò in his omnibus ſatis erit, ſi inferiores intelligant, vehementer Superiori regularum etiam minimarum tranſgreſſionem diſplicere; maximè ſi illum habeant amentque vt patrem: induunt enim tunc illi affectum filiorum, qui vel tenuem vitant offenſionem patris. quem ſi in minimarum quarumcunque regularum ſeriam obſeruationem ferri viderint, pari in illas affectu trahentur, vel hoc ſolo nomine, quòd in illas amantiſſimi patris ſui propenſionem ſenſerint. vt ſatis non raro ſit ad omnium regularum fidam cuſtodiam, ſi cùm in ſuis verum filialem amorem prouocauerit Superior, tum ſe regularum omnium ſtudioſiſſimũ

Digitized by Google

oſtenderit: maximè ſi exemplo ipſe præeat. ſequentur enim filij patrem; quoque amabunt magis, minùs volent offendere, plùs imitari. amor imitationem inducit, offenſionem cauet. hinc eorum quos amamus virtutem, adeoque & vitia imitamur. amantis hoc eſt, imbibit amati mores: nec ferè videt probi illi an improbi ſint. ita cæcus omnis amor eſt, vt nec cogitantibus quidem virtutes vitiaque influant. credas amicos animos in mutua transfundere viſcera, quidquid virtutum ac vitiorum habent; vt etiam externam corporis compoſitionem imitentur. propiùs fortiuſque etiam filij, amantiſſimi patris ſui mores exprimunt. Eadem in inferioribus videbis: vt qualem Superiorem nacti fuerint, tales plurimùm illos reperias. vt omnium felicior ſucceſſus, omnis benè conſtitutæ familiæ prudens moderatio, omnis accurata regularum obſeruatio, ab vno Superiore pendeat. neque quidquam faciliùs promptiuſque quàm ſequi filium præeunte patre, maximè ſi ametur. Amor enim & patri veneratio debita, & offenſionis metus, in ſeriã omnium obſeruationẽ inferiores impellet.
dum

dum enim nolunt offendere quem amant, parebunt imperanti; magis etiam ſequentur præeuntem, nec voce iam tantùm, ſed factis magiſtrum, ducem, patrem. Quales proinde ſuos regularum omnium amatores Superior deſiderat, talem ſe illis præeat. ſequentur, ſi illum ament, ſi patris loco habeant; deſtituent, ſi deſit amor. quin imò licet rem probauerint, non ſequentur ductorem. Nemo quem odit, imitatur, ne hoſtem magiſtrum ad virtutem habuiſſe videatur. ament, & ſequentur.

Hunc ſuorum amorem prouocet in ſe Superior. faciet ſi ſe in omnibus oſtenderit patrem. quod qui fecerit, quò volet impellet ſuos, etiam per medios ignes. Pulchrum nimirum per ardua parentem ſequi. faciet hoc quiſquis amabit. nihil enim durum amanti eſt : imò ſuaue omne durum amanti eſt. Hunc in ſe ſuorum amorem pari amore cōciliet Superior. nec magnum eſt filios amare patrem; portentum eſt non amare. patrem ergo ſe ſtatuat, & amabit : veríque patris induat viſcera, veræ matris vbera, & nō poterit non amare. Deum cogitet, illius in ſe ſupra

patris matriſque affectum; & imitari non pudeat Deum. tales habiturus ſuos filios, qualem ſe illis prębuerit patrem: tales imitatores, qualem ſe dederit ducem. ſequentur quò duxerit vt filij patrem matremque. in regularum omnium ſeriam obſeruationem ducet, validè ſequentur, & generoſo calcatu parentum veſtigijs inſiſtent. pulchrum nimirum filijs parentum veſtigia premere, & ijſdem paſſibus ſequi præeuntes. ſanè nihil facilius quàm imperare filijs, nihil promptius quàm obſequi patri. parentis gaudebit imperijs filius, ſi verum patrem nactus fuerit, qui nimirum in omni imperio parentis affectum prodat; vt quaſi manu tangat filius patrem eſſe qui imperat, non dominum aut iudicem. hoc ſi euicerit pater, ſi ſibi perſuaſerit filius, in beneficium imperata reponet, etiam pœnas, quas tanquam in acrioribus morbis, acriora in ſalutem medicamenta hauriet, certus inualetudinem his depelli; nec indignabitur patri, vt nec medico, amarulentiora porrigi pocula, quæ ſcit in ſalutem porrigi. magis verò exoſculabitur illas manus, à quibus morbos pelli vulneraque

cu-

curari ſenſerit, lætus de medicamento, quia felix de valetudine, tali medicamento parata.

CAPVT XIV.

Spiritualium conferentiarum inter domeſticos inſtitutio.

HAbeantur decimo quinto die ſpirituales conferentiæ inter domeſticos, de ijs potiſſimùm quæ aut obeſſe aut prodeſſe plurimùm inſtituto poſſunt. ac primò quæ ſperanda bona, quæue timenda mala ſunt pro propoſitæ rei conditione breuiter à ſingulis dicantur. recenſeantur deinde ſiue ad bona paranda, ſiue ad mala vitanda, remedia: proderitque demum exemplis ea illuſtrare ſiue bonorum qui per virtutem ad ſumma peruenerunt, ſiue malorum qui per vitiorum gradus ad extrema præcipitia infelici exitu prolapſi ſunt; ſiue illa petantur à veteribus, ſiue ab ipſa Religione recentibus, quæ ferè fortiùs mouent, & altiùs in animum dimittuntur.

Digitized by Google

Vt autem paratiores ſint ſinguli, de re pomeridiano tempore tractanda, manè meditentur proderit etiam ſi quis ex omnibus ſumma capita notet: ſic enim magnum paulatim non magno labore theſaurum ſibi parabunt, multorum aliquando conſolationi, inſtructioni, animationi. Iuuabit etiam hæc conferentiarum frequentatio ad mutuam animorum inter ſe coniunctionem: coaleſcunt enim facilè animi per virtutum, vitiorum, bonorum, noxiorumq́ue conferentias, accenduntuŕque tanquam mutuis flammis, mutuiſq́ue vltrò citroq́ue prolatis conſilijs, nociturorumq́ue remedijs tanquam mutuo fulciuntur auxilio.

Putarem verò conferentias haſce in tres claſſes diuidendas, vt prima, è ſacerdotibus, aut paulò pòſt ſacris initiandis; ſecunda, è iunioribus qui ſtudijs incumbunt; tertia, è Fratribus conſtet: quòd maiora è triplici hoc ordine priuatim publiceq́ue emolumenta ſperem. nam ſi iuniores Scholaſtici ac Fratres ſacerdotibus miſceantur, è ſola ferè ſacerdotum auditione exſpectari fructus poteſt: omne enim tempus dicentibus illis elabe-

betur, & verecundia iuniores Scholares, magis etiam Fratres à dicendo deterrebit. ſi diſiungas, temporis ſat erit omnibus, creſcetq́ue inter pares animus, rubore pulſo, ſinguliq́ue inueniendis quæ in medium adferant, operam conatumq́ue impendent; cùm enim rogandos ſe ſciant, parati accedent, & audebunt inter pares cogitata adferre. longè deinde accommodatiora ſingulorum ingenijs, eruditione, exercitationibus, iudicijs, propenſionibuſq́ue ab eiuſdem conditionis proferuntur, quòd ſi rem etiam ab affectu metiamur, dubitari non poteſt, quin ſui ordinis, quàm promiſcuè omnibus miſceri malint.

Et occurrere in ſpiritualibus his conferentijs ea poſſunt, quæ non expediat in omnium aures effundere. plurima namque pericula damnaq́ue è varijs rebus metuenda ſunt quæ conſultius ſit à pluribus ignorari. cognita enim ſæpè ad non tuta propellunt: non feciſſent ignorata. Accedit, ſacerdotes pro varia ſua eruditione ea dicere, quę altiora ferè profundioraq́ue ſunt quàm quò attingant Fratres.

Con-

Conſultum verò fuerit ſingulis hiſce conferentijs Superiorem ipſum præeſſe; plus enim auctoritatis illis accedet, magiſque ſeriò inſtituentur. certiùs etiam ſuos quã quiſquam alius conſilio iuuare Superior poterit: propiùs etiam ad cor, cum vnoquoque ordinum agere, ſingulis ea proponendo, quæ cuique inprimis vtilia ac neceſſaria ſunt. quę ſi omnibus præſentibus adferret, ruborem non rarò, fructum nullum eliceret. interſpargi namque non inutiliter aliquando à Superiore monita poſſunt, quæ Confeſſarios, Concionatores, reliquoſque ſacerdotes tangant; ea etiam quæ ſolos iuniores ſtudijs intentos: quæ vtiliùs à Fratribus ignorantur. cognita enim prodeſſe, ignorata obeſſe non poſſunt; maximè cùm damna meritò in mulierum confeſſionibus, ægrorum viſitationibus, iuuentutis familiariore conſuetudine timenda narrantur, exemplaque ſiue vetera ſiue noua in terrorem & cautelam recenſentur. Hæc enim prudentiam parant, profuturum timorem ingerunt, prouidoſque cautoſque ſerioſque reddunt, fiduciamque nimiam ſui in hoc ſexu frangunt

ac

ac deprimunt; præſumptionem arcent, ſalutaremque roboris, virtutumque ſuarum diffidentiam inijciunt; docentque nulli in hoc ſexu fidere, nulli credere; omniaque ab illo profecta timidè pertractare; vultum, oculos, verba, mores, ornatum, colloquia, ſub quocunque prætextu, ſuſpectiſſima habere, & vt præſentiſſima venena circumſpicere. in quibus multa tutò ingenti bono Patribus, Fratribus verò nullo emolumento dici poſſunt; damno etiam nō rarò maximo. vt proinde conſultius longè videatur ordinum diſcrimina in ſpiritualibus conferentijs ſeruare.

Aliquid, non diffiteor, laboris ac moleſtiarum Superiori accedit. ſed quę poteſt patri in filiorum ſalute moleſtia creari? ſi plus ſudorum, plus fructus eſt? labor terret emolumenta recreent. & quantus labor eſt ſi cōmoda cogitet? præmia deinde cælo repoſita recenſeat, & pudebit laboris, cùm illorum magnitudinem intuebitur. quin imò gaudebit laboribus, cùm ſe patrem matremq; cogitauerit, ſudoremque omnem filijs Deoque fundi.

Con-

Digitized by Google

Conferentiæ verò ita inſtitui cum Fratribus poterunt, vt vna ſeptimana exhortatio ad illos habeatur, de rebus generi vitæ illorum conuenientibus, altera verò de eadem re conferentiæ. in quibus ſinguli dum cogitata proferunt, animandi collaudandique ſunt. cauendum verò tunc ſi vnquam aliàs, ab omni duriore & acriore agendi ratione; ſed ſuauibus lenibuſque verbis iuuandi vt paulatim aſſueſcant, creſcatque illis ad dicendum animus. Solet enim talibus ad virtutem excitari mens humana; & quæ trepidabat ad aſpectum, audet etiam congreſſum vltrò expoſcere. ita balbutientes & ad ſingula propè verba auditoreſque rubore percuſſi, aſſiduitate promptitudinē audaciamque induunt. creſcit enim animus roboraturque conſuetudine. Idem in omni arte reperies. à tenuibus initijs ad ſumma conſcenditur. & ille modò inter magiſtri manus trepidus, etiam doctorem ſuum prouocare non erubeſcit. nihil nimirum tam arduum durumque, quod vſu non molleſcat.

Ingentem deinde conferentiæ hæ Superiori ſubditorum cognitionem parabunt; & quod

quod plurimis annis cõſequi difficillimum fuerat, pauci menſes docebunt. Neque verò res alia magis ingenij promptitudinem, iudicij maturitatem, inſtituti amorem, animarum zelum oſtendet. quæ res plurimùm ad prudentis gubernationis directionem proderit. Mutua deinde inter earundem conferentiarum ſocios cognitio creſcit; dum intima recluduntur, & quo propè quiſque feratur ſpiritu, retegatur, omniumque auribus exponatur.

Aſſueſcunt demum ſinguli ſerijs & Religioſo dignisſimis colloquijs; nihilq; promptius eſt quàm non tantùm domeſticas recreationes, ſed & colloquia cũ externis piis ſermocinationibus permiſcere. ſemel enim excitata mens, & mutuis hiſce incitamentis tanquam calcaribus ad maiora cæleſtiáque prouocata, quieſcere non poteſt: diffundit ſe in proximos, & vbicunque occaſionem tanquam terram bonam nacta eſt, non prætermittit profutura ſemina ſpargere magno ſæpè animorum bono: vnde nõ rarò fructus exurgunt quales ne ſperare quidem quiſquã audeat. Quo verò ſæpiùs hæ conferentiæ

ite-

iterantur, eo plus etiam ſingulis accreſcit animorum & virtutis, fœcundiúſque ſpargũt quæ tam diuite ab vnoquoque fonte hauſerunt: domúſque paulatim tota, recreationéſque paribus aſſuetæ colloquijs, plus piarum ſanctarúmque veterum Patrum more collationum, quàm recreationum referunt veſtigia. quibus aſſueta iuuentus pulſis ſæcularibus vanitatibus ſolam pietatem vultu, voce, oculis, moribus, totáque corporis cõpoſitione, ſuo aliorúmque bono ſpirabit. & quod aſſiduo labore perpetuíſque Superiorum monitis obtineri non potuit, nullo impellente ſponte eueniet. tantum cõſuetudo in quamcunque partem poteſt. quam ſi in meliorem inflexeris, optima quæque meritò exſpectanda ſunt, magno Religionis proximorúmque bono.

Deniq; cõferentiarum harum ſpiritalium aſſiduitas ac frequẽtatio, magnã meditationum per diſcurſum faciendarũ facilitatem dabit; è quib. ampla fertilíſq; materia piorũ affectuum naſcitur. adeò vt ad meditandum rudes, atque ad inuentionem ſteriles, felicibus hiſce ſubſidijs fœcundentur: paulatimque

que ſimiles modos combibant. quorum exemplo promptiùs alia reperiant, quæ pari in alios poſtmodum facilitate, felicitate, fœcunditatéque diſſeminent: fortunatiſſimóque euentu, ac inſperata vbertate, centupla nimirum fœneratione effundant. Ita cenſuit in his omnibus magnus Claudius Aquauiua noſter; cuius viri prudentiam omnis poſteritas loquetur. quem in omni hoc volumine ducem me ſequi lubens volénſque fateor; quo etiam ductore ſecuriùs pedem figo, calamum ſtringo. & monere etiam audeo, & magni parentis veſtigia premens in generoſam illuſtrium monitorum ſemitam prouocare.

CAPVT XV.

Hebdomodaria Fratrum allocutio.

SIngulis ſeptimanis cum vnoquoque Fratrum agat, ita diſtributis per hebdomadã diebus, vt ſinguli pręſciant quo die Superiorem conuenire debeant: agátque cum ſingu-

lis

lis de profectu eorum in ſpiritu, de valetudine, de munere quod obeunt: ac ſicubi deflexerint, moneat, hortetur, animet, remedia præſcribat. vix credi poteſt quantum hebdomadaria hæc collocutio momenti allatura ſit ad tranquillandam domum, mutuámque pacem conſeruandam. nam cùm magna pars domeſticæ tranquillitatis, à Fratrum religioſa viuēdi muniáque ſua obeundi ratione pendeat; hæc verò ratio nullis modis foueri magis augeríque poſſit quàm vigili Superioris ſollicitudine ac paterna cura, quæ in hebdomadaria hac ſermocinatione maximè elucet; perfacilè Superior impetrabit vt religiosè, ſtrenuè ac pacatè ſua peragant: quod vbi conſecutus fuerit, mutua reliquorum domeſticorum pax, amor, beneuolentiáque nullo negotio ſequentur.

Et ſanè frequens hæc collocutio vel ſola ſatis erit, ad Fratres in officio continendos. quod quantum ad pacatam totius familiæ gubernationem momenti adferat, perfacilè intelliget quiſquis propiùs viderit in manu ferè Fratrum eſſe, quæ ad tranquillandam turbādámque domum cum primis faciunt.

qua-

qualis non inter poſtrema temporalium rerum adminiſtratio eſt; quæ maximam ſecum vt curarum & ſollicitudinum, ſic etiam domeſticæ tranquillitatis partem trahit. neque ferè in vlla re alia plus ad turbandos conciliandóſque animos materiæ reperies; adeò vt bènè, prudenter, pacatéque qui temporalia compoſuit, longè certiſſima tutiſſimáque ſpiritualium fundamenta poſuiſſe non iniuria cenſeri poſſit. Facilis enim ad mutuam animorum coniunctionem, ad parendi promptitudinem, ad venerationis excitationem, ad regularum obſeruationem via eſt, ſi ſtrata per ſapientem felicémque temporalium rerum adminiſtrationem, ſemita eſt. hac enim cura ſublata, leuatíque hoc onere Superiores, non magno molimine fortunata manu ſpiritalia ſeminabunt, quæ diuite domum meſſe beabunt. reſectis enim ijs quæ magnam oblocutionum ſegetem ſubminiſtrare, Superiorúmque animos ſollicita anxietate, in diuerſum rapere conſueuerunt, non magno conatu, ingenti animorum tranquillitate, ſpiritualia firmabuntur, cũ & totos ſe his Superiores impendẽt, cura

illorum liberati; & ſubditi è temporalium rerum ſordida tenuitate, aut improuido earumdem delectu imprudentíque adminiſtratione, murmurationum oblocutionúmque cauſſam nullam habebunt.

Accedit, Fratres plurimis adiumentis carere, quibus Scholaſtici abundant. inſtitutio, eruditio, exercitatio, educatio, libri, doctorum conſuetudo, magnum virtuti lumen præferunt, quibus fere Fratres deſtituuntur. quid? quòd ex ſe, vt ita dicam, Scholaſtici virtutum magiſtri ſint, Fratres ex alijs, à quorum perpetuo propè ore, ductu inſtitutionéque pendent. occupationes deinde Scholaſticorum ita pijs quibuſque rebus permiſtæ ſunt, vt in omni ferè exercitatione aliquid interſpargatur pietatis. Siue enim iuuentutem erudiant, aut confeſſionibus excipiendis, aut habendis concionibus ac catechiſmi explicationibus diſtineantur, ſiue ægros, morientes, mœroribus aliiſque calamitatibus oppreſſos ſolentur, conſilijs iuuent, diſſentientium animos componant; ſiue ſtudijs denique vacent, plurimum his omnibus permiſcetur quo mentem paſcant

&

&erudiant, ſeq́ue ipſos ad virtutum ſtudia excitent, varioſq́ue pro re nata cęleſtes affectus induant: vt dum alios inſtituunt, monent, hortantur, conſulunt, ſe ad eadem prouocent; virtutem laudant, vitia auerſantur, Sanctorum magnorumq́ue in vtraque fortuna exemplum proponunt, fiduciam in Deum accendunt, præmia pœnaſq́ue vitæ alterius, felicemq́ue in illis infelicemq́ue æternitatem narrant, ſibi referant. vt verum illud vetus ſit, In quam partem alium vis flectere, te priùs flecte; affectumq́ue prior indue, quem alteri imprimas. nemo frigidus æſtum caloremq́ue, nemo calens frigus afflauit alteri. Hinc fit vt cùm Scholaſtici excitandis proximorum animis, & ad virtutem impellendis, ac à vitijs deterrendis occupentur, magnam eoſdē in ſe affectus concitandi cauſſam habeant; qua ferè Fratres ſpoliantur. vt proinde maiori cura ac molimine in his opus ſit: longeq́ue plus in continendis his , ac in pietate ſanctimoniaq́ue perficiendis, laborandum Superiori ſit. cùm enim proprijs ac quaſi domi ſuæ natis ſubſidijs careant, ab alijs mutuare illa cogūtur:

 à nul-

Digitized by Google

à nullo verò certiùs tutiuſque quam à Superiore tãquam patre. quos cùm ad orationis mortificationiſque amorem ſtudiumq; Superior impulerit, reliquos natura exercitationeque ad eadem pronos ac currentes, nullo negotio incitabit. Fuit hæc mens Aquauiuæ noſtri, magni per omnia viri. de quo hoc poſſumus: Incertum, pietate an prudentia vicerit, rerum ſanè geſtarum gloria, conſtantia, animique inuicti robore, inter Ordinum primos non immeritò numerandus. In quo vno cùm plurima propè ſupra fidẽ admiranda, tum nihil mihi ad laudem maius, quàm in tanta pietate, ac cum Deo, æterniſque perpetuo quodam nexu ac contubernio, tantam humanarum rerum futurorumque fuiſſe prouidentiam; in tanta generis muneriſque dignatione, benignitatem ac modeſtiam; in tãto aduerſantium turbine, tot non vna cæli parte fluctibus dirum ſæuientibus, ſecuritatem animumque incurſantibus maiorem, in tam crebrò denſata negotiorum mole, celeritatem; in tam precipiti rerum varietate, mentem ſibi ſemper conſtantẽ preſentemque, nuſquam va-
rium

rium, ſemper ſibi ſimilē, nuſquam trepidū, ſemper fortem, nuſquam conſilij inopē aut incertum, aut irruentibus minorem, ſemper Superiorem. nunquam illi in tanta varietate & mole interrupta quies, deiectior animus, ſemper pacatus & robore ſuo plenus, cùm in vno Deo æternorumque exſpectatione ſpem omnem poneret; concreditę ſibi à Deo Societatis amantiſſimus, pro qua ſi bonus paſtor ſanguinem funderet feliciſſimum ſe arbitrabatur: omnibus denique ſemper & vbique parens, quos tenero quodam affectu, & tanquam vberum delicijs proſequeretur, maximè orationi & mortificationi deditos, & quos in aduerſis & pro Religionis integritate inuictos ſtetiſſe cōpererat, nullis potentium minis aut pręmijs flectendos, nullis frangendos.

CAPVT XVI.

In ſuorum recreationibus ſpectator, non actor ſit Superior.

IN quibuſcunque domeſticorum recreationibus ſpectator potiùs quàm actor illarum Superior erit: nec facilè ſe committet illis. nam vt in vario genere plurimùm poſſit, ſuperari tamē palàm ab inferioribus non vna in re durum eſt. hanc de ſe victoriam quæ ad minuendam venerationē nata eſt, fugiet quiſquis ſapit. Quare in ipſis etiam diurnis recreationibus non facilè in diſputationem cum ſuis de quacunque re propoſita veniet Superior: neque enim pronius quidquam quàm quædam ab illo ignorari. ſiue enim de hiſtoria veteri recentiq́ue agatur, ſiue de oratoria & poëtica facultate aut linguarum peritia, ſiue de Mathematicis, Philoſophicis, Theologicis, alijſq́ue ſtudijs mentio iniecta fuerit; cauebit ſeriò ne huic ſe ſcientiarum luctæ committat Superior, è qua non magnam laudem, damna referre poteſt magna. nam & viciſſe inferiores non magnum, & ſuperatum fuiſſe non leue eſt. Et verò conceptæ de ſe opinioni detractum it fortiter; infringendíſque imperiis non vltimam cauſſam præbet. quare in priuatis ac domeſticis etiā recreatio-

tio-

Digitized by Google

tionibus magis cum paucis quàm cum plurimis verba faciet. ac licet conſultum fuerit in eadem recreationis area Superiorem non rarò eſſe, teſtem nimirum ac moderatorem agendarum rerum, perrarò tamen ſe turbæ immiſcebit, ne, vt in promiſcua miſtione vſu venire conſueuit, diſputationem aliquam ingredi cogatur; néue aliorum calore dictionis illius curſus intempeſtiuè interrumpatur, aut narratis ab eo derogetur; aut in acriora verba ſuorum feruoribus excitatus prorumpat; aut denique ex imprudenti alicuius zelo, aut innato contradicendi aut ſcientiam ſuam oſtentandi ſtudio, audiat cũ rubore quę audire nõ deceat. Quòd ſi contigerit fortiùs illum, minúſque compoſitis ad religioſam modeſtiam verbis ſẽtẽtiam dicere, opinionémq. ſuam tueri; non minimùm de nominis æſtimatione periclitabitur. ſemper autem verbis ita per omnia compoſitum eſſe, vt nec modeſtiæ, nec maturitatis limites egrediaris, optari poteſt, ſperari prudenter non poteſt: maximè ſi in Superioris ſententiam ardentiùs inferiorum aliquis inſurgat: quod perſępè in

promiſcuis hiſce recreationibus euenire cõſueuit. cùm enim familiaritas omnis aliquid in maximo etiam viro, de concepta nominis opinione decerpat; conſultum tuendę auctoritati videtur, à promiſcua hac familiaritate quàm remotiſſimum eſſe.

Patres imitetur Superior prudentiores, quos in filiorum conſpectu temperare ſibi ab omni effuſiore lætitia videmus, ne profuſione hac patris exuiſſe perſonam, filiorumq́ue ac parium induiſſe meritò videri poſſint. quę res cùm in contemptum paulatim parentes adducat, ſeriò ab his quiſquis ſapit, abſtinet. Faciat idem Superior, ſiue auctoritatis tuendę cauſa, ſiue filios in officio ac veneratione continendi, ſiue deniq; vt filiali quodam metu ab illicitis terreantur, dum ſerij parentis oculos maturitatemq́ue venerantur. Hinc illud eſt Gregorij: *Rarò ſit in publico, frequens in ſecreto, vt quo rariùs aſpicitur, deuotiùs veneretur*. Et illud Suetonij: *Vt vitato aſsiduitatis faſtidio auctoritatem abſentia tueatur*. Hinc nimis verum illud in Pericle Plutarchi: *In familiari conſuetudine, ægrè cuſtodias illud opinionis de te auguſtum*. Et illud Apuleij:

pulei: *Parit conuerſatio contemptum, raritas conciliat rebus admirationem.* Ita omnium opinione venerationem & auctoritatem concisa ac moderata abſtractio conciliat: proiicit illam familiaritas nimia. vt nunquam parianda ſago purpura ſit, ni depurpurari velis purpuram. ſuis ſingula limitibus arctāda, nec ſupra cothurnum, nec infra, nec candida luteis nimiùm miſcēda. perit decor & venuſtas. moderabitur quiſquis ſapit, & familiaritatem maturitate temperabit, vt neque hęc illi, nec illa huic quidquam detractum eat; nec diffidentiam matura familiaritas, nec familiaris maturitas cōtemptum pariat. medius in his delectus prudētiſſimus certiſſimuſque in omni imperio fuit, eritque ſemper. Seueram ſeceſſionem & barbarum illud, *Non videri,* non probo: nec plebeium illud, *Miſceri omnibus & ſemper.* faſtidioſum Demetrium & Caligulam accepimus, & vtrumque imperio pulſum, hunc etiam vita. miſcebit infima ſummis prudēs Superior, & mediam tenebit viam, vt nec ad infimas ſe familiaritates abiiciat, nec ad faſtidioſam ſe ſolitudinē conuertat.

 CA-

CAPVT XVII.

In domeſticis recreationibus iuniores Fratreſq; ſenioribus permiſcendi, illorumq; deambulationibus ſenior aliquis ſociandus.

IN recreationibus domeſticis expedit nec ſolos ſemper iuniores, nec Fratres ſolos eſſe, ſed miſceri ſacerdotibus; quorum exemplis & pijs narrationibus, morúmque ac totius corporis compoſitione & maturitate, auocentur à ſæcularibus ac vanis, magíſque ſerijs Religionéque dignis aſſueſcant. proborum ferè improborúmque conſuetudo, ad bona maláque dux, comes & magiſter eſt.

Proderítq; hæc miſtio plurimùm ad domeſticam coniunctionem: ne, dum ſinguli ſuis tantùm aſſociãtur, deſueſcant alijs; nec vnius iam corporis membra, ſed variorum cenſeãtur. Proderit denique hæc permiſtio ad inlatentes animorum affectus certiùs cognoſcendos, qui ſe vel maximè in recreationi-

tionibus produnt, quorum cognitio Superioribus inprimis vtilis, ac ad prudentem gubernationem neceſſaria eſt.

Quo etiam vel ſolo nomine recreationes retinendæ videntur, tanquam inlatentium affectuum indices. neque enim vſquam ſe certiùs intima quęque produnt, & in apertum proſiliunt bona maláq; quàm dum mutuis prouocantur candoribus, effundúntq; illecti aliorum libertate & exemplo quę pectoribus claudebantur. neq; res vlla maiora virtutum vitiorúmq; documēta dedit, quàm cum libertate conceſsâ, in apertum, equorum inſtar ſtabulo eductorū, proſiliunt campum. Inter vincula & compedes quis robur oſtendet? quis equi generoſitatem viréſque in ſtabulo ſuo, & ante ignaua cognoſcat pręſepia? educendus eſt, ſi virtutis roboríſque experientiam quæris: ſi, quid curſu, quid ſaltu valeat, doceri velis. Idem in homine vſu venire ſolet. Laxa nonnunquam frena, & educ in arenam, videbis quid ſperare poſſis; quid timere debeas: educit illum permiſſa quædam animi corporíſque, quod in recreationibus euenire

ſolet, liberior poteſtas. quam qui perpetuò ſtringit, nec fræna laxat, nec calcaria ponit; calces vereri debet, & reluctantia terga & ore, & ſeſſoris denique excuſſionem. in libertatem nimirum ſe vindicabit ſeuerior aſtrictio, coacta imperia, aut ſanè in apertum prorumpet oblocutionum campum. & generoſior etiam quiſque è rigidiore minutiſſimorum exactione exaſperatur, abitque in perpetuum quendam languorem, priſtinique degener vigoris, nauſeabundo ſimilis, ignauiâ poſita virtute amplectitur, aut cum onere vitam proiicit. Mediocritas ſemper laudata: & laborum quædam intermiſſio, robori parando, fouendo, augendo, ab omni prudente moderatore, in feſſarum virium repaſtinationem ſemper conceſſa, & imperio etiam reluctantes compulſi. permiſcenda nimirum dulcia amaris, læta triſtibus, oleum vino.

Nunquam verò ſoli iuniores extra vrbem recreationis cauſſa mittendi; addatur ferè ſocius aliquis è *Superioribus* aut maturioribus ſacerdotibus; cuius virtutis, maturitatis, modeſtiæ, temperantiæ certa documen-

ta

Digitized by Google

ta exſtent. neque enim facilè tali inſpectore, teſte ac moderatore, pœnitenda committent; aut ad non religioſos ſæculiue mores proſilient. ſanè nullâ re religioſi faciliùs collabaſcũt mores, quàm irreligioſa recreationum effuſione. moderatam verò maturitatem, in illa ætate ſperare, vix prudentis eſt, humanaque humano more metientis. adſit proinde aliquis qui efferueſcentem ætatem cohibeat; qui muſto adhuc redundantia hæc vaſa comprimat, ne terminos ſuos tranſiliant. Sanè nihil faciliùs quàm in quadam morũ religioſa maturitate iuniores cohibere, ſi moderator adſit, & quem reuereantur, habeant ductorem: nihilque difficilius quàm ſibi permiſſos, moribus religioſos ſperare; cùm necdũ ad viuum reſectę conſuetudines prauæ, necdum radicitus euulſi habitus mali. nec pronius quidquam quã ſuccreſcere zizania in amica ſibi terra. aſſueuit illa talibus, ſiue vitio ſuo, ſiue ex interſparſo maligno ſemine. quare perfacilè ad priora delabitur, & ſemen etiã bonũ, niſi vigilãs acceſſerit cura, cũ agro ſuo ſilueſcit, & à primæua probitate ſua degenerat. Ita

Digitized by Google

fœcundiſſimus licet ager, perpetuam culturam,raſtróſque & aratra poſcit,ne fęcunditas illa innoxias protuberet fruges,in ſpuria germina,in adulterinos frutices.

Aduigilabit proinde Superior, nec manum à cultura retrahet, eo magis quo propinquiora damna ſunt: quæ in agrarijs ac ſuburbanis recreationibus non immeritò timeri debent,cùm laxatis quaſi habenis liberior campus conceditur. Tunc enim ſe prauę animorum propenſiones è ſomno quo tenebantur,excitę,produnt,& liberiore decurrunt pede. quod enim altè defoſsũ latebat,hîc in apertum proſilit. ſuſpenduntur nimirũ ędiũ veſtibulis merces, quas arca recluſerat: intus ne quære, vacua domus eſt,theſauri foris oſtentãtur. ibi leges quidquid ſolers cuſtodia texerat. Benè à Philoſopho dictum: *Loquere adoleſcens vt te videam.* certiùs etiam poſita maturiore diſciplina, animum inter contubernales effunde,vt te agnoſcam. Neque cognitionis certior via eſt. ſed neq; pronior ad veteres mores ſemita eſt. Cauebit quiſquis commiſsũ ſibi gregem tuebitur, quiſquis paterno proſequetur

affectu.

affectu. nam ſæpè vna recreatione, die vna, plus imbibitur praui moris quàm multis menſibus non indiligens cura expellat. & adhęret in omnem non rarò vitam quod vna dedit hora, ita altè noxia immerguntur; bona ferè in ſuperficie natant, nec facilè ad ima deſcendunt. vt magno in his frequentique conatu ac diligentia vtendũ ſit. in malis vel vidiſſe ſemel ſatis eſt. venena cogita, quæ non hauſta tantùm, ſed tacta perimũt. medicamenta vt proſint, combibẽda ſunt. nec ſemel hauſiſſe ſatis eſt, iteranda ſunt. ita validioribus in bonis opus eſt raſtro, vomere, ligonibus, ſudore. noxia ſponte naſcuntur, & nulla manu ſemina ſpargunt, vt nil opus ſit aratro, aut ruſtica manu. ad deteriora enim fœcundus omnis ager eſt. Eadem in animorum agro reperies. proſcindenda hęc terra eſt perenni cura & ſollicitudine, vigili labore, & indefeſſo ſtudio, noctes iungendo diebus: ac nuſquam ac nunquam parcendum eſt, vt optatos fructus referas. ſi vel paululùm intepueris, quaſi centupla fœneratione fœcundiùs exurgunt mala, quæ etiam dormientibus innaſcuntur. quare inuigila-

uigilabit Superior, & iuniorum recreationibus moderatorem adhibebit ſerium ac maturum; ne inimicus homo optimę ſemẽti ſuperſeminet zizania, & annorum ſæpè non paucorum labor vna die pereat, vnaq; eludat exterátq; hora multorum annorum ſpem magnam; fallatque exſpectationem tot antè annis conceptam, laſciuior vna recreatio. Credi nõ poteſt quanta è minimis damna naſcantur: quàm ſæpè in Religioſo minùs caſta verba, minùs pudica, lectio, laſciuior oculus, liberior prolocutio, effuſior menſa, plurimorum annorum laborem depaſcant; adeoque nonniſi cum vita ponantur. vt vel ſemel non audienda inaudiſſe, non videnda, legẽda, vidiſſe, legiſſe, in ſexageſimum frequẽter annum moleſtiam pariat. tam tener omnis religioſus animus eſt, minimo lęditur, ita nobiliſſima quęque minimis iniurijs ſubiacent, tenuiſq; næuus in venuſtiſſimo corpore magnus eſt. vt magna in non magnis Superioris prouidẽtia neceſſaria ſit: nec parua tamen cenſenda ſunt, quę magna ſecum damna trahunt. quo fortiùs talibus Superiori inuigilandum eſt, vt omnem

nem periculorum occaſionem de medio tollat; ne damnorum auctor meritò habeatur, cuius illa neglectu illata ſunt.

CAPVT XVIII.

Vitiorum prauarúmque conſuetudinum mores, quibus à Superiore mediis ſuperandi ſunt.

GRauis hic non vltimorum in Religione error eſt, quo magis prudenti manu opus eſt. & ferè optimas quaſque mentes, Religionis zelo accenſas, ac tanquã in pietatis quadam fornace excoctas, mortificationiſque in primis ſtudio extritas, orationéq; excultas, occupat hic error. dum enim præferuido perfectionis ſuorum calore incenſi, ad ſumma feruntur, omnis illis mora longa eſt, dies annus, hora mẽſis eſt. neque tam quibus ipſi paſſibus cęleſti duce manu ad ſumma virtutum peruenerint, quàm virtutũ conſecutionem intuentur. & dum æſtuantes ardoribus, calidè virtutẽ amãt, vno quaſi in alij iactu, ſeminatã, na-

natam, educatam, adultam vellent; vt odiſſe videantur ſera naturæ molimina, quę immiſſa terræ ſemina, tarda perimit manu; vt fœcundiùs reſurgant in herbam, in culmũ, in ſpicam, in florem, in maturitatem, in meſſem, in horrea. vellent nimirum primo iactu in caulem, in fruticem, in arborem, in folia, in florem, in fructum menſis maturũ ſurrexiſſe: quaſi quod oriente ſole ſeminatum, occidente meti poſſit. Indignabuntur illi etiam vineæ cultoribus, tot foſſionibus, firmamentis, putationibus, ductibus tanquam figulatione vitem educentibus. iam cùm vident hanc hieme tota in ignauo otio cõſepultam, ac ne vere quidem niuibus geluque pulſo, niſi adulto admodum exurgere, trepidantemque in flore ſuo, pruinas, ventos, imbres, aurámque rigidiorem, prolémque diffuſis vndique pampinis contegentem; impatientes moræ, Autumni ur-ditatem, tardáſque æſtatis fornaces l-que ignes accusãt. vno nimirũ [illegible] pampinos, flores, botros ſupremámque autumnitatem præpoſtero naturę ordine apprecantur. & dum cęco in maturitatem a-

more

more rapiuntur, quidquid intercurrit temporis ſæculum arbitrantur. & amant illi etiam paſcua, ſiluas, hortos. ſed rigantes fœcundantéſq; prata raro ſtillicidio pluuias, aut hieme tota inſidentia fertili fotu flumina, tardáque nemora, & nonniſi nepotibus ſata, tótque ſubfoſſionibus ac ſtercorationibus impinguandos hortos, vt grato aliquando odoratóq; flore dominum beent, auerſantur. ſata, nata, facta, adulta momento vellent. quaſi ſi quis indignetur concipi, foueri, naſci, lactari, educari prolem, illiuſque iuuentutem, adoleſcentiam ac virum denique ſuum exſpectari.]

Grauiſſimus omnino error, fatua vota, at nonniſi in domini caput ruitura. vnam voluit qui potuit Deus vniuerſi machinã, nullius præter conditoris ſui indigam, verbo educere, formare, firmare. vt quo momento verbum, eodem cælum, maria terręque ſtarent, reliqua auctibus ſuis, per ſtata decretáque ſpatia protrudi ac ſuccreſcere imperauit. vt ſtolidum planè ſit æquari velle Deo, & dicta facta putare. ita etiam videmus illius nutu è Saulo Paulum natum, è pecca-

Digitized by Google

peccatrice Magdalenam, è Publicano iuſtum, è telonio Apoſtolum, è latrone paradiſi heredem. ſed hæc manibus illius figulabantur, qui verbo omnia ſtatuerat.

Sequetur ergo naturam ducem Superior, poſitoq́; imprudenti calore, patienti manu ſerotinos potiùs perennaturos fructus quã præcoces, & nocte vna alteráue natos, totidémque aut paucioribus morituros ſperabit. ſequetúrq; curationum peritum medicum, qui non ſtatim ad ferrum ac ignem decurrit. extrema hęc remedia ſunt, & ab vltima deſperatione nata: mollibus primũ malum lenit, medicamenta mitiora porrigit, nocituris antè humoribus in eductionem paratis; nec ad potentiſſima venit, niſi clementioribus antè tentatis. nam qui à validiſſimis curationẽ auſpicantur, antè plurimùm interimunt quàm medeantur. ac ſi quid proſperè eueniat, fortuitum eſt, aut naturæ debetur benignitati ac robori, non peritiæ curantis. prudens medicus omnia priùs experitur, quàm ad vltima, interemptura aut ſanatura deſcendat. & ſi moram malum patiatur, à leuiſſimis omnino initia

ducit;

Digitized by Google

ducit, à mollioribus non rarò frictionibus, amico balneo, dulcibus fomentis, odoratis functionibus, victus quadam potuſq; prerogatiua, electibilibus pulmentis; otio etiã ſomnoque indulget; honeſtíſque oblectationibus, & ad hilaritatem compoſitis ſermocinationibus, morbúmque ac illius faſtidia leuantibus, ægrum demulcet. quod ſi pertinax perſtat malum, ad paullo generoſiora decurrit: quibus ſi morbi grauitas reſiſtit, acriora admouet: tandémq; poſt omnia nequidquam tentata, ad ſumma, non tam voluntate ſua, quàm mali improbitate lentáque peruicacitate delabitur.

Faciet idem animorum medicus, & qui internarũ infirmitatum, voluntate ſua an aliena, medicationem ſuſcepit: à mitiſſimis auſpicabitur, nec ad validiora niſi perleuia tranſcendet. ac antè omnia Superior, cui animarum cura commiſſa, operam omnem dabit vt ametur. Vicit qui ſuorum ſibi beneuolentiam comparauit. hæc enim amorem, amor fiduciam, venerationem, ęſtimationem conciliabit. amorem verò hunc comitate, morum facilitate, paterno affectu,

ctu, matris vberibus, condolentia in malis, laude in proſperis parabit. nemo autem ſibi illum moroſitate, tenacitate, triſtitia quadam vultus, frontis perpetua corrugatione, duritia in infirmos ac laboribus extritos, immitirate in ſuos comparauit. ad timorem hæc animumq́ue ſeruituti ac triremibus natum, non ad amorem ducunt.

Et ſanè ſi Chriſti noſtri imperia cogitemus, nunc agricolę, nunc vinitori, nunc paſtori, nunc gallinę, nunc matri, nunc ſponſo ſe componentis; perfacilè videbimus quales illius exemplo induendi nobis affectus ſint. Vetat arcetq́; domini ac magiſtri inter diſcipulos nomen. quid? quod famulatum ipſe venerit: ac filio quē virgine vtero clauſerat edocta mater, ancillatum in Elizabethę domo. & magiſtrum imitatus Apoſtolus, omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucraretur. ſed & ſuos in vindictam & cęleſtia fulmina exurgentes, compeſcuit Dominus. & roganti Apoſtolorum Principi ſeptiéſne peccanti ignoſceret, reddidit, *Non ſepties, ſed ſeptuageſies ſepties*. & neſcio an non hac quadam interrogationum duritia, & im-

miti

miti parumque humanarum fragilitatum memori viam ſibi ad ternam in ancilla negationem ſtrauerit, vt ex ſe iam fieret, vt lapſuum, ita commiſerationis magiſter? Sed & in parabola de ſuffodienda arbore, & anno illi fouendæ conceſſo, qua in animarum curationibus voluntate fuerit, planiſſimè oſtendit. Iam cum in muliere poſt deperditæ drachmæ recuperationem; in paſtore, humeris aberrantem ouem, leue quia gratiſſimum poſt errorē onus, deferente, gaudia enarrat; quid niſi ingentem benignitatis ſinum expandit, & exemplo ſuo in manſuetudinē prouocat? Imitabitur Superior. errare ſub hoc magiſtro non poteſt. quid? quòd tantum erret quantum ab huius moribus decedit. Benè & doctè in rem noſtrā Anſelmus lib. de ſimilit. c. 177. *Dic, quæſo, ſi plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam ex omni parte ita concluderes, vt ramos ſuos nullatenus oſtendere poſſet, cùm eam poſt annos excluderes, quales putas ramos extenderet? profectò inutilis arbor, rugoſa, & gibbis plena, ramis ſuis incuruis implexa. Hoc vtique facitis, ô vos puerorum magiſtri, de pueris veſtris, qui plantati ſunt per ob-*

latio-

lationem in Eccleſiæ horto, vt creſcant & fructificent Deo. Vos autem in tantum terroribus, minis & verberibus vndique illos coarctatis, vt nulla penitus liceat ſibi libertate potiri. Itaq; indiſcretè oppreſſi, prauas & ſpinarum more perplexas cogitationes infra ſe congerunt, fouent, nutriunt. vnde fit, vt quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil beneuolentiæ circa ſe in vobis ſentiunt, nec illi alicuius boni in vobis, ſed quidquid eſt odij, impietatis, maleuolentiæ poſtea ſpem habeant. Contingit itaque miſerabili modo, vt ſicut corpore creſcunt, ſic & in eis timor tantùm & inuidia, & ſuſpicio omnis mali creſcat, ex vobis ſemper proni & incurui ad vitia, ſecum præmeditantes aut quomodo veſtras inſidias & machinationes valeant euitare, aut deinde ſæculo reddere. De adoleſcentibus voluntaria oblatione in Religionis horto plantatis illi verba. in quibus nimiam coactionem ac ſeueritatem improbat; amorem ac beneuolentiam probat: ex illa ſuſpiciones, timores, impietatem, inuidiam, odia, vitia denique omnia naſci tradit, liberiores etiam oblocutiones, & inimicas Religioni apud externos narrationes, quibus vniuerſum nomen bonũ miſerè profunditur. ita fit vt ſeueri-

tas

tas ruinas faciliùs ſtantium ædificiorum ac arborum, quàm extructiones ac erectiones iacentium ruinarum ac fruticum operetur: cùm creſcentibus animorum alienationibus, ex opimo fertilíque Religionis horto, in noxia ſæculi nemora ſilueſcunt. duram nimirum ſemper Superioris ſui manum experti, non tantùm callum induunt, ſed & poſtuma remedia omnia auerſantur, & ſe tandem duræ quaſi ſeruituti eripientes, vno improuido ſeróque pœnitendo ſaltu, infelici ſe ruina ſepeliunt.

Nactus ergo Superior ſi fuerit domum minùs compoſitam, moréſque ſæculum, non Religionem loquentes, calcata regularum obſeruatione, contemptis primorũ parentum placitis, maximè in inueterata iam conſuetudine, maiorúmque vſu roborata, cùm vnicũ omnium quotquot ſunt, ſtudium votáque repererit, otium, menſas, commoda, libertatẽ, momniúmq. piarũ exercitationum ſupinum neglectum, vbi ſoli parietes & veſtis Religioſum pręferunt nomen, à nouacula incipiet? ſecabit, non emendabit, ab ignibus exordium ducet, à

for-

fornacibus & flamma? amburet aut decinerabit, non purgabit. verborum aſperitate & duritia vtetur? exaſperabit, non corriget. à pœnarum in omni delicto frequentia, & factorum dictorumque moroſitate & immititate auſpicabitur? metuent, non amabunt. nuſquam parcet & nunquam? frontem obdurabũt, verecundiam exuent. perpetua quà publica quà priuata duriora intonabit monita? contemnent. ſemper aſſiduitas contemptum peperit: omnia eodem pede grauia iuxtà ac minuta cenſebit? odia in ſe ſuorum prouocabit: ac cùm palàm obſecuti fuerint. clàm inſurgent, & ad fraudes tacitaque molimina confugient. ſubtrahet corpori neceſſaria? ab amicis mutuabũtur, etiam à muliercula. aſtu circumueniet? dolũ dolo opponent. domum verborum factorumq; ac cogitationũ etiam alienorum obſeruatorib. delatoribuſq; implebit, ne quid nimirũ illum fugiat, ne quid tranſeat impunitum? illi clauum clauo pellent, capita & conſilia conferent, & vbi tuta delinquendi loca repererint, audebũt quæ ne cogitatione quidem antè tentaſſent. ita dum inſeſſas

vndique hoſtili ferro vias videmus, per præcipitia ac rupes effugia quærimus; ac neſcio quo modo in non illiberali ac ingenuis digna Religioſis conceſſione, faciliùs, promptiùs certiuſque in officio contineamur, quàm in ſeuera, rigida ac nuſquam intermiſſa proſecutione. ita quò quæque generoſior etiam bellua eſt, hoc impatientiſſima verberum eſt. laude plus impetraueris quàm flagris; quo verò ignauior & ignobilior, hoc plus minis flagelliſque quàm beneuolentia obſequitur. Idem in homine reperies. generoſiſſimus quiſque amore ducitur, ignéſque contemnet & tormenta, ſi amor impulerit. ignauus & cui ſeruile pectus, aſperitatibus ducitur. pauci tales in Religione, cùm ſolo Chriſti & melioris ęternitatis amore, voluntati ſe alterius ſubiecerint. quorum quo à maiore nata amore ſubiectio eſt, hoc amoris, non timoris compedibus conſtringi volunt: quoque plus amant, minùs timent. ſi timerent, amare deſinerent, aut ſanè minùs iam amarent, cùm ferè tantum decreſcat amori quantum accreſcit timori.

Quid faciet ergo Superior, cui domus ta-

lis commiſſa cura fuerit? ingenium cuiuſque ſerius indagator conabitur inueſtigare, animorum in vitia iuxtà ac virtutes propenſionem; omnium an paucorum corrupti mores; licentiores pauci an plures; certi auctoris, an omnium idem delictum; inualuerit conſuetudo annis firmata an recèns nata; Superiorum negligentia ac indulgentia, an maiorum exemplis minùs religioſi mores creuerint; denique è quo fonte profecta hęc fuerint, quibus incrementis aucta. videbit deinde qui inter illos auctoritate plurimum & gratia poſſint. hos ſibi conciliare beneuolentia quanta poteſt maxima conabitur, vt horum exemplo reliquos ad ſe trahat. quædam quę ſalua Religione poteſt, concedet, negabit alia, & negationis cauſſam addet, & loco negatæ rei, aliud non alienum à religioſis moribus vltrò largietur. deferet aliquid ætati & cano capiti & laboribus fractis. Infirmorum deinde magnam curam habebit, quibus cùm nihil deeſſe, tum ſuper eſſe etiam aliquid patietur. quos frequens ipſe inuiſet, vultuque ad hilaritatem aut cōmiſerationem compoſito ſolabitur, animos

ad-

Digitized by Google

addet, & ſi vſquam recludet hîc pectus, ac vniuerſa matris porriget vbera, vt nihil in his niſi mater ſit, ſepoſita etiam perſona patris; excuſabit errores, leuabit ægritudinis delicta, omnemque religioſæ matris munificentiam explicabit.

Diſſimulabit etiam iuxta Nazianzenum in ſuorum delictis non pauca, ne nimia monitorum frequentatione callum obducant, frontem indurent, pudorem exuant: qui ſemel pulſus audaciam, contumaciam, impudentiam denique ingenerat; è qua planiſſimus ad omnia delicta decurſus eſt. Grauioribus proinde primũ, à quibus plus Religioni ac delinquenti periculi ac iuſti metus, animũ intendet, vnde ad minora deſcẽdet. quæ ſolo aliquãdo nutu, & oculorum matura iactatione emẽdabit, verbo etiã vno alteróue interdum benigniore, cũ plus ſemper in filijs à beneuolentiæ vinculis quã ab acrioribus verbis ſperari debeat. aliquando ſe vidiſſe oſtendet, nec aliud. cùm ferè in ingenuo filio ad correctionẽ ſatis ſit parẽtem ſcire. Quid? quòd tota non rarò diſſimulatione vtetur,

vt quæ audiuit, quæ vidit, nec audiſſe nec vidiſſe videatur. quæ res non rarò ſubditum longè potentiùs ad omnis diſciplinæ arctitudinem quàm duriora monita impellunt. cùm enim ſentit inferior quædam in ſe à paterno Superioris affectu diſſimulari, fortiùs in amorem rapitur, & ſeueriores iam ipſe ſibi leges ſtatuit, pluſq; vltrò pœnarum ſubit, quàm à paterna manu vereri poterat. idem in humanis vſu venit, arctiùs filios quàm ingenuam ac liberalem indolem ac educationem deceat, habet pater, ſeueriùs ac tãquam inter vincula & compedes ſeruos dominus; aliqua arte dolóue eluctabuntur, ac ſi via deſit alia, etiam per ſcelera aperient. vt aliquid patris ac domini benignitate ac indulgentia potuiſſe plus ad modeſtiam valeat. & vel ſolâ non rarò prudentis maturique parentis ac domini fiduciâ, filij ſeruique continentur, diffidentia dilabuntur; duritia rigidioreque in omnem partem conſtrictione diſſoluuntur; moderata conceſſione arctantur, facti morum ſuorum magiſtri, monitores, iudices. cùm moderatus ac comitate quadam temperatus Superiorum animus amorem,

amor

amor complacendi Superiori ſtudium pariat: è quo maior longè quàm à rigore diſciplinæ obſeruantia naſcitur; tantoque certior quantò ſe plus amari ſentiunt. ac cùm ſciant indulgētiam illam ab amore profectam & à quadam vltroneæ obſecutionis fiducia, non vtentur conceſſa aut ſimulata libertate ne offendant, aut minùs conceptæ de ſe Superioris opinioni ſatisfeciſſe videantur, & plura ſanè ſcelera, maioraque, ac in Superioris caput caſura, vnaque tandem ruina domum Superioremque oppreſſura, ab immiti quodam rigore quàm à nimia etiam indulgentia reperias. Temperamentum adhibebit quiſquis firmare familiam & imperia voluerit; quiſquis imperata non negligi, non contemni, non ſubuerti; quiſquis mutuam ſuorum pacem, amorem, fidem, hilaritudinem, fiduciam, promptitudinem, parentiam, facileſque mores exoptat; quiſquis æmulationes, fraudes, ſimultates, publicas priuataſque oblocutiones, detractiones, æmulationes, diffidentiam, ac in obſequendo mœrores ac illubentiam odit; quiſquis abeſſe à domo ſua fluctus irataque maria,

noxioſque animorum prauarumque ſuſurrationum odiorumque motus deſiderat, quiſquis denique ſuam ſuorumque ſalutem amat. nec extremum rigorem ſequetur, nec indulgentiam nimiam. media incedet via ſecurus. nec ſemper ad omnem tranſgreſſionem monita, nec ſemper ſimulationes admouebit. diſſimulabit in paruis interdum, monebit interdum. addet etiam nonnunquam aliquid pœnarum, ſed ita ne facilè ad acriora monita adijciat pœnas. vno ferè horum contentus erit. ſi fortiùs monuit, abſtinebit plurimùm à pœna. ſi pœnam imponat, cauebit ab aſperioribus verbis, memor neminem medicorum aſperioribus medicamenta verbis condire, ſed dulcibus ad leuanda faſtidia obuoluere. Faciet idem Superior, blandis ac mollibus pœnarum acrimoniam mitigabit. quin adeò rariſſimè ad acriora monita, ac non niſi in magnis deſcēdet. matura potiùs illa erunt, & ab amantis patris pectore & ore prognata. vt amorem monita præferant, ac patrem loquantur, non dominum, non iudicem.

Domeſticos deinde non raro magna ver-

verborum factorumque benignitate preueniet, vltroque neceſſitatibus occurret, ac non rogata interdum beneficia præſtabit. prompto lætoque ac beneuolo ad ſe venientes animo ſuos excipiet, audiet vultu ad ſuauitatem compoſito, vt ipſa vultus formatione animos addat, fiduciam excitet. Solabitur afflictos, ac tẽtatione aliqua pulſatos, blandiſq; verbis mœrorem leuabit. ſi quid peccatum patrio non iudicis more monebit, ad meliora hortabitur. faciles in delictis pœnas iniunget, in clementiam ſemper quã in ſeueritatem pronior, rariſſimè verò ac nõ niſi in grauiſſimis iudicis perſonam induet. quòd ſi quis vltrò peccatum ſuum deferat, factus accuſator ſui, benignè excipiet ac mitigabit etiam delictum, remedia tamen in futurorum cautelam ſuggeret.

Excitet deinde in domeſticis magnam fiduciam paterni in ſuos affectus. faciet, ſi omnem diffidentiæ materiam ſuſtulerit; ſi nõ ſenſerint nudis illum ſuſpicionibus ferri, vbique pauidum & trepidantem; ſi non malignum dictorum factorumq; in deteriorem partem interpretem; ſi non vtramq; aurem

accuſatori præbentem; ſi non facilem in delationes, durum in excuſationes, inclementem in reum, benignum in accuſatores; ſi non nimiùm curioſum cogitationum propè indagatorem, ſi non, præteritos errores doloris ſpongia deletos, ad omne nouum in minimis delictum repetentem; ſi non ſuperſtitioſis ſingulorum morum obſeruatoribus domum replentem. qui ſi in aliorum cognitionem venerint, præter gratuita quę ſibi accerſunt odia, vniuerſum mutuæ caritatis vinculum diſrumpitur, ac in amoris vicem timoribus natant omnia, dum ſinguli in ſocio accuſatorem timent, nec iam vltrà fides aut fiducia, pulſoq́; candore ſimulatio ſuccedit, præſentiſſimum religioſioris vitæ venenum. Quare per ſe potiùs Superior ſuorum mores & ingenia conetur perſcrutari, ac per aliquem in publico munere conſtitutum virum grauem, & qui ratione muneris quod gerit, nulla inferioribus in Superiorem iuſta diffidentiæ veſtigia imprimat. quòd ſi familiæ amplitudo plures depoſcat, maturos omnino huic rei admoueat, & qui dexteritate ac agendi prudentia, nullam a-
pud

Digitized by Google

pud alios meritam obſeruationum ſuſpicionem ingerant. neque ita tamen oculis auribuſque etiam probatiſſimorum fidat, vt ſuas reo claudat: cui ſemper plus quàm cuicũque accuſatori tribuat. ac in omni delatione nihil aut apud animum ſuum, aut verbo factoque ſtatuat, niſi certus de accuſatione, etiam rei confeſſione fuerit. nunquam verò ad alicuius delationem decreta præcipitet aut monita, aut in aſperiora aſſurgat verba, ne re meliùs perſpecta, cum rubore errorem ſuum cogatur agnoſcere, non ſine ingenti ęſtimationis ac prudentiæ diminutione.

Certiſſima verò tutiſſimaque gubernandi ratio eſt, ſi tam validam paterni in ſuos affectus opinionem impreſſerit, vt ſinguli lubentes vltronei accuſatores fiant ſui; vtq; paternis illius moribus prouocati, quidquid diſpliciturum arbitrantur præſenti, non committant abſente: vt dum illum ſemper in oculis habent, etiam abſentem offendere vereantur patrem, quem præſentem animo perpetuò circumferunt. Nec difficile erit in ſui accuſationem ſuos excitare. ſemel enim impreſſus amor & fiducia ſtudiumque vir-

tutum, ad vltrò ſe ſuáque tanquam animarum medico ac patri detegenda impellet; & gaudebunt aperire nocitura, remedia ſi à benigna parentis medici manu tanquam à matris vberibus ſperauerint. quòd ſi quando in vulnerum exterſionem vino opus fuerit mordicante, ſciat Superior cum Samaritano, oleo illius generoſitatem mitigare, vt illius acrimoniam, huius ſuauitate leniat, & quidquid in illo virilis aſperitatis, huius detergat mollities. ita fiet vt grata etiam in ſalutem propinata, vellicantia ſint medicamẽta, quæ tam dulcibus obuoluuntur & veſtiuntur: tanquam ſi quis maturiora patris monita, matris contegat vberibus.

Excitabit deinde ſuorum in ſe fiduciam Superior, ſi occulta ſuorum delicta ſibi quaqua via concredita nunquam elabi patiatur; vt nimirum continentiſſimus ſecretorum ſit. quæ res ingentem omnino fiduciam prouocat. laudet deinde apud alios ſuorum conatus, probitatem reliquáque non illaudanda. neque enim Superiorum dicta diu occultari poſſunt, tranſeunt ad laudatum, qui laudibus illius prouocatus maiori etiam niſu

ſui placitura aggreditur. Committat etiam vltrò quædam ſuis: quæ ſi feliciter prudēterque commiſſa executi fuerint, maiora etiam credat, laudata priore induſtria. Vix enim fieri poterit etiam in perditiſſimis moribus, quin vbi paternũ pectus matriſq; vbera explicauerit in ſuos Superior, filialē in ſe ſuorũ amorem excitet. quod vbi cõſecutus fuerit, victoriã retulit. imperare quiduis poteſt. nihil enim amanti graue, cùm dulciora etiã amantis verbera quã inimici ſint oſcula. Facit hoc amor, vnicũ benè cõſtituendæ Religionis, religioſæq; diſciplinæ firmamẽtũ. à quo vno quidquid omnino in Religione ſperari debet magnum ac perpetuãdum, dependet.

Pietatis deinde ſemina prudens animorum cultor, in familiaribus maximè cõgreſſibus, per prꝫteritorum præſentiumq; exempla, prouidè inſtillet ſuis. quæ ſi altè in animum dimiſerint (quod à paterno pectore facillimũ erit) nullo ductore ad religioſam diſciplinam decurrent. addat ſpirituales piarum meditationum exercitationes, ac quãtum fieri poteſt ſponte ac cũ voluptate ſuſceptas, frequenteſque per opportunitatem

ſpiritualium rerum narrationes:ita tamen vt non coactæ illæ, ſed quaſi è re quapiam propoſita natæ videantur, animetque Auctorũ commendatione ad piorum librorum lectionem. ac ſuper omnia exemplo magis ſuo quàm monitis Superior viã ad meliora ſternat. à cuius moribus paternaque manu ſi propinata ſpiritualia medicamenta inferior biberit, vltrò ad omnia religioſa munia decurret, & freno iam opus erit, nõ calcaribus. tantum poteſt amor & ſuperinfuſa pietas amori, conceptuſque de Superiore animus paternus. Et verò leue fit omne quod amatur, nec quidquam tam durum eſt quod ab amati manu non læta fronte & cum voluptate excipiat amans.

In hoc ergo labor omnis erit Superioris, nec antè facilè deſcendet ad emendanda, quàm ſuorum ſibi quaqua demum religioſa via mentes conciliauerit, parauerit animos. quod vbi conſecutus fuerit, commodiſſimum quæ volet imperandi tempus nactus erit: cum enim amari ſe inferior ſenſerit, ab amore imperia naſci arbitrabitur, veroque paternoque affectus ſui ſtudio. quod nun-

nunquam conſequetur Superior, in quo plus nouercalis quàm paterni pectoris elucet, cuius oratio monitaque plus iudicem & dominum quàm patrem loquuntur. nam licet perfectionis ſuorum ſtudio virtutumque inſerendarum zelo rapi videatur, ab alienatione potiùs quadam animi profecta antidota & medicamenta hæc inferior cogitabit; nec perſuadere ſibi poterit, propinata in ſalutem quæ à ſeueriore fronte & ore, minúſque paterno porriguntur: ac plurimùm dolum ſubeſſe cogitabit, aut ſaltem minùs ſincerum affectum. contemnet proinde, nec ad ima dimittet, aut tanquam hoſtilia dona auerſabitur. quòd ſi ad illa admittenda imperio coactus fuerit, nihil operationis bonæ ſperandum. vt enim medicamentum, niſi ab innato homini calore, à quo operationis ſuæ vim mutuatur, iuuetur, nil niſi interitum aut grauiorem ægritudinem accerſit: ita ſpiritualis omnis curatio, niſi volenti calentique animo ſuſcipiatur, nil niſi maiores alienationes, ac odia demum parabit. vis fructũ referre? ægrientis animum vince vt amet quod porrigitur.

Digitized by Google

Quòd ſi omnium quos regendos Superior ſuſcepit, ea improbitas fuerit, vt nullo patris ac nec matris quidem pectore vinci poſſint, nulla comitate, beneficijs nullis; à iunioribus remedia ſperanda ſunt, ablegatis ſi fieri poteſt, malorum auctoribus. quòd ſi fieri non poteſt, noui in Religionem admittendi, quos, cùm alius deſit ſtudio paulatim ſuo, diligentiaque Superior inſtruat, ſuccoque à teneris bono, & virtutum ac religioſæ diſciplinæ amore imbuat, varijſque ſpiritualibus exercitationibus roboret, virorumque etiam verè religioſorum conſuetudine, in religioſarum virtutum deſiderium prouocet, frequentique piorum voluminum lectione: inſtructos deinde varijs in Religione muneribus præficiat. ita fiet vt ſenioribus paulatim emorientibus ac munere ſuo deſtitutis, ſuccedentibus melioribus, domus vniuerſa, veteri meritò damnanda excuſſa, veram Religionis faciem induat.

CAPVT XIX.

Conuiuiorum frequentationes vniuerſim tollendæ.

Nul-

NVllas proinde externorum menſas adire ſuos permittat, ne videant & diſcant nocitura, ne delicijs aſſueſcant, quibus virorum animi effeminantur; ne audiant minùs caſta, religioſa, modeſta, & à moribus ſuis aliena; ne obtrectatoribus faciles cogãtur aures præbere; ne obliti ſui aliquid meritò reprehendendum committant; ne liberiore locutione, cachinno vanioribuſque colloquijs offendant; ne exẽplo ſuo reliquis ad vanitatem iter ſternant; ne vna menſa aliam trahat in tanta ſæpè inuitantium paritate, ſolaque demum offenſa finem ſtatuat.

Domeſtica etiam conuiuia tollenda: aut enim religioſè hoſpites habes, & offendis parcimonia; aut dignitatis memor paria inuitatorum honoribus paras, & magis etiam religioſis offendis. Et ſanè grauis illorum error eſt, qui conuiuijs vltrò citroque frequentandis, amicitias arbitrantur parari, domeſticas res promoueri, ac augeri fortunas, erigique iacentes. creſcunt magis æmulationes, ſiniſtræ opiniones, detractiones: neque menſales amicitiæ vltra pocula ſe & menſas extendunt; finiuntur cum illis. neque ſolet

his

his medijs Deus dexteram ſuam adiungere, aut per illa animarum ſalutem propagare. Pericula damnaque metuat, quiſquis Religioſus eſt, conuiuijs indiuiduo quaſi nexu implexa; & maiorum exemplis lapſibuſque animum aduerſus illa firmet; cogitétque magnam Religionum partem per horum latus perijſſe. ſtetiſſent ſine conuiuijs, perierunt cum illis & in illis; neque enim quidquam promptius, quàm inter epulas vináq; incaleſcere, & exurgere in inimicas caſtimoniç flãmas. Illç caſtas mentes, quas innocentia parcimoniâ magiſtrâ firmauerat, conuiuiorũ frequentatione diſſoluerunt; roboréque ſuo ſpoliatas, nudatáſque continentiæ præſidijs, hoſtibus inermes obiecerunt. non poterant inuictæ niſi per illas cadere, inuenit hoſtis victoriæ ſuæ campum. vicit inter epulas, quas oratione victúſq; cibíque parcimonia non ſemel ſuperiores ſenſerat. ita quas tutata ſobrietas fuerat, prodiderunt menſæ.

In qua re illud à quibuſdam adferri video; conſultum videri virum religioſum ac continentem, conuiuijs miſceri, vt exemplo ſuo

ſuo verbíſque reliquos ad ſobrietatis amorem propellat; laſciuiam modeſtia frangat; oblocutionum fomenta ſubtrahat; vt è conuiuiorum delicijs tanquam ex oratione ſurgant. At quanto faciliùs vnus inter epulas & conuiuantium licentiam cadet, induétque aliorum mores, exuétque ſuos? quis medios inter ignes frigora ſperauit? idem inter epulas continentiam cogitet. iam quantos vlla memoria à menſis ad continentiæ amorem aut legimus, aut deſcendiſſe vidimus? quantos non à caſto thoro, à templo & oratione, ab epulis ad incontinentiam tranſiſſe? vt magis verendum ſit ne inter tot cadat vnus, quàm ab vno firmentur plurimi; vt taceam pronos nos omnes ad vitia & naturæ quodã ductu trahi ad illa; ad virtutem tardos, ad vitia faciles. nimirum pronus per præcipitia lapſus, grauis per eadem aſcenſus eſt. vna deuolutione deſcenſum metimur; pluribus reptationibus alta montium petimus. quare in tanta naturæ ad malum procliuitate tutiora eligenda ſunt. neque quiſquam ſapiens tam denſis in omnem partem periculis ſe obijciet, rariſſima incertiſſimaque melio-

rum

rum exſpectatione; cùm metuenda damna maxima & plurima; commoda aut nulla aut perexigua, eaque dubia ſperanda ſint. certiora prudens ſequetur in re potiſſimùm ſalutis, cùm de anima agitur, in qua cecidiſſe ſæpè æternum eſt. Componat deinde bona cum malis è conuiuijs nata, infelices multorum lapſus, cum perquam rarò fortunato exitu: virtutum cum vitiorum fructibus, è frequentatis epulis tanquam ex arbore protruſis. & nullo negotio videbit, quàm temerè fatuoque conſilio ſeſe epulis committãt, qui conuiuia meliorum exſpectatione frequentanda putant.

Incumbat proinde in hanc rem ſeriò Superior, nec vllis ſe ſuoſque precibus patiatur ad illa pertrahi; memor in omni omnino Religione funeſtorum nimiùm exemplorũ cum priuatorum interitu, Ordinum dedecore, & non eluenda æternum labe: quæ adeò frequentia grauiaque omni ſæculo reperiet, vt nihil propè orbe toto, Religionibus omnibus, regnis, prouincijs, rebus publicis, publicè priuatimque funeſtum acciderit, quod ab epulis, menſiſque fœcunda

pro-

Digitized by Google

prodigiorum matrice effuſum non fuerit ab his ad furta & latrocinia,ad venena& ferrũ, ad hoſtilem, amicum, ac conſanguineum ſanguinem,ad eiuſdem etiam vteri iugulum itur; ad Ordinum non poſtremorum aut interitum, aut tanquam exſectis neruis perpetuum languorem cum ingenti nominis dedecore, ingloria vita, omnium contemptu. quo magis præcludendæ viæ omnes quæ ad illa ducunt.

Præeat exemplo Superior, & ſequentur ductorem inferiores. nec magno molimine ſuos ab ijs auocabit, ſi prior ipſe ſibi hanc continentiæ legem præſcripſerit, prior impleuerit, factus ex ſe magiſter legis. Sanè nullam habebunt inferiores iuſtam querelarum cauſſam,ſi Superiorẽ viderint fortiùs etiam legem implentẽ quàm ferentem. hæc enim certa faciliſque perſuadẽdi regula eſt. imperata prior exequere,nec antè manũ calamo quàm operi admoue. Moderatus proinde ſit Superior,cibiq́ue potuſq; abſtinens, parciſſimus menſarum, epularum hoſtis; imitabuntur inferiores.ac licet natura aliò rapiantur, verecundia ſiſtet, & Superioris exem-

Digitized by Google

exemplo tãquam freno, epularem animum prono curſu in menſas proruentem cohibebunt. Et verò non paucos ſemel expreſſa continentiæ ac modeſtiæ exempla, imitatores dabunt. nec imitari in alio erubeſcent, cuius neglectu cùm corruiſſe ſe videant, obſeruatione erigendos ſe ſperant. pulchrum autem eſt imitanda dare, glorioſum ſequenda proponere, gratiſſimum Deo meritíque pleniſſimum, continentiæ exempla præfigere; verum denique & immortale decus eſt, conſilijs monitíſque ad virtutem duxiſſe, magis etiam factis rebuſque præluxiſſe, cùm res verbis certiùs doceant, potentiùs ſuadeant, validiùs prouocent, fortiùs impellant, cùm quaſi armata dextera reluctantem ac nolentem cogant.

CAPVT XX.

Mulierum quocunque prætextu familiaritates arcendæ.

INuigilet Superior aſſiduè circa mulierum familiaritatem, ſecetque quidquid

in

in hoc genere periculorum: ac in ſemine ſuo metuenda perimat, nuſquam parcat. omnis hîc in quocunque etiam magno viro ſimulatio noxia, omnis ſecuritas metuenda. nec quiſquam ſatis hîc timuit. infidum hoc mare eſt nauigantibus, infame magnorum naufragijs, profundum. prolixiores proinde ac frequentiores earum confeſſiones amputabit; frequentiáque cum ijſdem ac diuturniora ad portam colloquia reſecabit. dabitque operam vt & confeſſiones breues, & ad portam breuiſſima ac rariſſima ſint colloquia; maximè verò ne cum ijſdem illa frequententur.

Viſitationes verò muliebres omnes omnino tollet; nulláſque extra grauioris ęgritudinis tempora quocunque prętextu permittet. omnem deniq; ad mulieres ſcriptionem interdicet. doli namque & venena, & nociture in his flammæ nō ſemel latuerunt. Docebit hoc Superior non poſtremorum in omni Religione exemplis, nec patietur ſe in hac materia à rigore deduci. ſeuerum potiùs ſe in omni hac feminea familiaritate ac conſuetudine exhibeat, ac nuſquam ac nulli

parcat. ſumma pietas hîc eſt ſæuire: ſummus amor nulli ignoſcere. habeatur durus, dummodo pericula damnaque arceantur, benè eſt. habeatur ſeuerus ac ſuſpicioſus, ſi ruinæ cauſſam, ſi ignibus materiam ſubtraxerit, benè eſt. malo crudelem cum ſuorum ſalute, quàm blandum mollemque cum interitu. Meminerit Cypriani familiaritatis pericula deſcribentis de ſing. Cleric. *Reſpicite quanta mala conuerſatio pluralitatis huius acquirat. quæ non niſi corruptionem ſeminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, laſciuiam paſcit, petulantiam nutrit, præcipitia inſtruit, periculis nauigat, perditione gaudet, interitum fouet. confuſionem mercatur, theſaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accuſationes inflammat, & caternatim ſemel in faciem glomerans, numeroſas indagines captionum per infinita dedecorum multiplices mortes inuehit. &, nunquam ſecurus cũ theſauro latro tenetur incluſus, nec intra vnam caueã habitans cum lupo tutus eſt agnus.* Ad excuſationes quæ adferri ſolent, reſpondet Hieronymus: *Quòd ſi dixeris, Mihi ſufficit conſciẽtia mea, habeo Deum iudicem, qui meæ vitæ eſt teſtis, nõ cu-*

ro quid loquātur homines; audi Apoſtolum, Prouidentes bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Et Bernard. ep. 47. *Eſto, ſis continens: ſed ego ſuſpicione non careo: tolle ſcandali cauſſam.* Quid? quòd à gentilitate doceamur? aut pudebit doceri in ſalutem? Macedûm ille maximus, rogatus Darij filias videre. videbatur humanitatis, nec indignũ purpura nec hoſte: at ille negauit ſibi committẽdum, vt qui viros viciſſet, à mulieribus vinceretur, plus veritus mollem proſpectum quàm armatas acies, procurſantes legiones. nec Macedone minor Africanus Hiſpanicas puellas in cõſpectum ſuũ deduci eſt paſſus, ne non ſaluis oculis illas videret, quarum parentes armata dextera imperio ſubegerat. nõ timuit virile, non hoſtile ferrum, oculos timuit deterioris ſexus. Hæc in alta gentilitate. non erubeſcat Religioſus ſequi: & cum magnis ducibus, vt in nauigando procellam, feminea damna vitare, ne iaceamus aliquando cælis, terris, inferis ludibrium.

Et ſanè tot in omni vitæ genere exempla ſunt eorum qui à tenuiſsimis initijs tãquam à minima ſcintilla in ingentes exarſerunt flam-

flammas; quíque in erubeſcendas fauillas redacti, poſteritati imprudenti auſu, infortunatóque exitu præluxerunt, vt nullis alijs documẽtis opus ſit. Hîc ſeptuagenario maior Iacobus, etiam vitæ ſanctimonia miraculíſque clarus, poſt pulſum è puella dæmonem, ad ſacrilegam fornicationem homicidium addidit. In vit. Pat l.5.p.580. Pelag. l.5. nu. 39. Alius poſt ſexaginta annorum teſtatam pudicitiam, quin & poſt ſanctè tranſactam in eremo vitam, ac generoſam quadraginta annorum luctam. Nec pauci eruditione, dignitate, virtute primi vel inter primos, à curioſiore femineo aſpectu vno, familiariore cõgreſſu vno, propiore alloquio vno, tiam à conſanguineo igne, adeóque & ab eiuſdem vteri flamma ambuſti, ac in inuerecundos cineres redacti ſunt. Rufin. l. 3.n.4. in vit. Pat. l.3.pag.496. Hinc ille è ſenioribus eremi cultoribus, cùm cognatam virginem cella excepiſſet, aliam quàm acceperat, dimiſit, & ingens dæmonum gratulatio conſecuta eſt. In vit. Pat. l.5.p.580. Pelag. l.5. nu. 41. Alter in eadem eremo ętati & multorum annorum probitati fidens, amicam ſecurita-

ta-

tatis cellam ſpe meliorum deſerit, mulieré videt, labitur: & ad primum aſpectum poſt tot annorum ſanctimoniam, cano iam vertice, diſcit docetque quid ſit anteactæ probitati fidere; vt neque pietati, neque religioni, neque ætati, neque morum ſeueritati, neque vitæ ſanctè tranſactæ, neque innocentiæ, neque prodigijs, neque ſanguini fidendum ſit. omnes qui timuit, ſecurè vixit; nulli qui fidit, timere deſijt. virtuti, caſtimoniæ, innocentiæ, robori qui innixus eſt, cecidit; ſtetit qui metuit, cui ſuſpecta omnis ętás, familiaritas, vox, oculi, vultus, ornatus; vitauit congreſſus, timideque colloquia miſcuit; tuta delegit, qui ſe Adamum, & in ſingulis alterius ſexus Euam, certiſſimaque venena cogitauit, magnorum infelici exitu doctus, omnem familiaritatem declinauit, certus etiam de lōginquo feminea venena virus ſuum fundere, quo magis de propinquo. hinc illa Hiero. monita: *Quid tibi neceſſe eſt in ea domo verſari, in qua neceſſe habes quotidie aut perire aut vincere? quis vnquā mortaliū iuxta viperam ſecuros ſomnos capit? quæ etſi non percutiat, certè ſollicitat. ſecurius eſt perire non poſ-*

ſe, quàm iuxtà periculum non periſſe. Et Sapiens Eccli. 42. Prou. 6. *In medio mulierum noli commorari: de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.*

Iam cùm ignorare Superior non poſſit; è nullo, quot è femineo ſcopulō, legi ſcribiq́ue naufragia, fugiet has rupes; nec allidet pudicitiæ ſalutiſque ſuæ ratem ad hæc vada. cumque ſciat nullam vllo ſæculo Charybdim Scyllamq́ue nocentiorem fuiſſe, aliò diriget vela, vitabitq́ue infelices crudeleſq́ue voragines tantorum infortunato exitu nobilitatas. Et quis Oceanus naufragijs infamis tot ſorbuit naues, tot exercitus, quot feminea hæc maria animas cælo cōditas? quis enſis aut quod hoſtile ferrum tot cadauerib fatigauit terras, tantoq́ue ſanguine decolorauit, ſtititq́ue flumina, quot muliebris conſuetudo è minimis nata victimas ſacrauit inferorum flammis? Et inter tot omnis ęui documenta, vetera ac recētiora, audere metuenda, dementiæ extremæ eſt. tot millia proſtrata iacent: nec viles animæ, ſed generoſior quiſque, viribus, doctrina, potentia, opibus, ſapientia primus. Et quis poſt tātas orbe to-

to primorum ſtrages, fatali huic præcipitio ſalutem ſuam committat? iacent quaqua flexeris oculos, prima orbis Religionumq; robora proſtrata, & infami femineo iugo ſubacta; & prudens ſe ſuaq; credet illis? Fortiter de omni muliere Ephrem in doctrina varia, tom. 1. *Quid eſt mulier? naufragium ſuper terram, fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ & malitiæ, mortifera conuerſatio atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis ſpiculum, iuuenum perditio, ſceptrum inferni, & concupiſcentia præceps.*

Et vt nihil ſit aliud, vitabit offenſiones, quæ ferè familiaritatem vt vmbræ corpora ſequuntur. ac licet ſecurus aliquis de integritate ſit ſua, timebit alterius, non ignarus facilem in fragili ſexu lapſum eſſe: & vt pericula damnaque corporum abſint, animorum non deeſſe. Intentum proinde oculum in omnem occaſionem habebit Superior; in alijs clemens, in hoc ſeuerus. fidet in alijs, in hoc verò mari magno plus aduigilabit quo maior ſe oſtentat malacia, certus nunquam peritum nauclerum minùs extra metum eſſe quàm dum iacent fluctus, & quodam qua-

ſi ſomnio ſopiti ſecuritatem promittunt; momento infidi exurgunt, & inopinantem imparatumque mergunt. inter luſum nimirum dum blandiuntur, ſorbent, eo nocentiùs, quo mentitâ tranquillitate deluſos crudeliùs perimunt.

Nunquam denique Superior quacunque è cauſſa, etiam grauiſſimæ ægritudinis, aut ſe aut alios ſine teſte in mulierum quacunque familiariori cõgreſſu ſtatuat. adſit ſemper innocentię & ſecuritatis ſocius, qui pręſentia ſua, calumniarum, offenſionum, periculorum occaſionem tollat. quãti ſtarent ſi ſocius clauſiſſet latus? quanti perierunt illo deſtituti ſibique relicti; præda ſolitudini facti, hoſtibus ludibrium, poſteritati exemplum? innocentia non rarò muliebre conclaue ingreſſa, non eſt egreſſa innocentia. neſciebat feminam, ſolitudo docuit. ignorabat in publico illices molléſque illius affectus, didicit priuatim; neſciebat muliebria venena, auſus fuit ſolum ſe ijs committere, hauſit virus & perijt. ita Ægyptius diaconus vir magnus cum nobiliſſima matrona fida ſine teſte miſcens colloquia, labitur; & vix mul-

multorum annorum lacrymis, ſeueriſſimaque pœnitentia, vnicam ſolitariam fiduciã diluit. Omnium horum ſimiliumque infelices exitus tacitus ſecum intueatur Superior: nullum in publico crimen metuat. ſolitudinem ſcelera amant. ſi prodendi periculum eſt, periculo crimina carent. ſed neque delictorum cogitationes animam ſubirent, ſi ſolitudo abeſſet. illa hæc ſuggerit, ac quaſi reluctantes, iniecta dextera ad præcipitia ducit, & nunquam cogitata fortius imprimit, quam vt leui manu euellantur. monemur de hac ſolitudine ab Hieronymo: *Quid ſibi volunt ſola & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi?* & iam olim ab exordio naſcẽtis Eccleſiæ S. Clemens Epi. 2. ad Iacob. *Ad viſitandam mulierem infirmam nullus clericus ingrediatur, niſi cum duobus aut tribus. & nec presbyter ſolus cum ſola adiungatur: ſed duob. adductis teſtibus viſitet infirmam, nec ſolus cum ſola femina fabulas miſceat.* Et Theodorus Studites: *Nec ſolus colloquere cum monacha vel ſæculari, niſi neceßitas trahat, idq; cum duabus ab vtraque parte perſonis.* De Auguſtino Poſſidonius: *Si fortè ab aliquibus feminis vt videretur vel ſalutaretur,*

rogabatur, nunquã ſine clericis teſtibus ad eas intrabat; vel ſolus cũ ſolis vnquã eſt locutus, nec ſi ſecretorũ aliquid intereſſet. Cantipr. verba ſunt l. 2. c. 11. §. 2. *Nec socius ſociũ debet deſerere, maximè in colloquio mulieris, niſi alter alterum videat colloquentẽ.* Et alibi c. 11. §. 1. *Quàm vera ſit hæc vox (væ ſoli) ego noui qui triginta annis & eo ampliùs, vices Epiſcopi in diuerſis prouinciis & diœceſibus habui, qui in hoc articulo quo Religioſi vel ſoli vadunt in viis, vel ſoli manẽt in curiis, horrenda mala horrendaq; ſcandala, horrendaq; pericula frequenter audiui: quæ nunquam ſuſtinuiſſent adiuncto ſocio vel feciſſent.* Habemus etiam è Dominicana familia pręceptũ: *Fratres combinati nullo modo ſe ſeparent ab inuicem qui ſe videre non valeant, & ſibi poſſint mutò teſtimonium perhibere in quocunque ſint loco vel negotio.* Et verò narrante Ruffino, è duobus Religioſis alterum qui ſe ſocio ſubtraxerat, miſerè in muliercula perijſſe diſcimus. Grauiùs etiam ſenex eremo à prima ætate aſſuetus, cùm ætatem ſenio morbiſque fractam, & elangue corpus longa macie, & ægritudine marcidum, nequidquam periculorum à Superiore monitus, virgini adminiſtræ commiſiſſet, infelici

ſobole, vtriuſque innocentiam commaculauit.

Nec ſatis in tutelam eſt eodem cubiculo ſocium contineri, ſed eo ſtatuat loco, quo mutuo aſpectu mutuæ in omnibus innocētiæ teſtes habeant. quanti laſciuientes oculos manuſque continuiſſent ſocio inſpectore? quantorum tentata pudicitia eſt ſocio in cubiculi angulo alijs occupato? & vtinam tentatio tantùm. non luſiſſent liberiùs oculi, caſtæ fuiſſent manus, vt reliqua taceam, ſi ſocium habuiſſent inſpectorem. occaſio pudicitiæ ſuæ furem dedit. iam quantę non caſtis ignibus inæſtuantes vel ſolo intuētis ſocij rubore, continuiſſent vocem, oculos, manus? vt ſenſerunt ſe non videri, exutâ verecūdiâ auſæ fuerunt prouocare. è tam propinqua flamma quæ non glacies ſoluatur? ignoraſſet veſanos hos ignes, ſi in oculis ſtetiſſet teſtis ſui. nec ſenſiſſet fornaces Babylonijs calentiores, ſi cenſorem habuiſſet; cuius ſolius oculis inſanas has flammas, ſi non reſtinxiſſent, ſanè compreſſiſſent. vt ſi vlli alteri, huic omnino rei ſeriò inuigilandum. grandior ſit ætas an minor in femi-

parcat. ſumma pietas hîc eſt ſæuire: ſummus amor nulli ignoſcere. habeatur durus, dummodo pericula damnaque arceantur, benè eſt. habeatur ſeuerus ac ſuſpicioſus, ſi ruinæ cauſſam, ſi ignibus materiam ſubtraxerit, benè eſt. malo crudelem cum ſuorum ſalute, quàm blandum mollemque cum interitu. Meminerit Cypriani familiaritatis pericula deſcribentis de ſing. Cleric. *Reſpicite quanta mala conuerſatio pluralitatis huius acquirat. quæ non niſi corruptionem ſeminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, laſciuiam paſcit, petulantiam nutrit, præcipitia inſtruit, periculis nauigat, perditione gaudet, interitum fouet confuſionem mercatur, theſaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accuſationes inflammat, & cateruatim ſemel in faciem glomerans, numeroſas indagines captionum per infinita dedecorum multiplices mortes inuehit. &, nunquam ſecurus cū theſauro latro tenetur incluſus, nec intra vnam caueā habitans cum lupo tutus eſt agnus.* Ad excuſationes quæ adferri ſolent, reſpondet Hieronymus: *Quòd ſi dixeris, Mihi ſufficit conſciētia mea, habeo Deum iudicem, qui meæ vitæ eſt teſtis, nō cu-*

ro quid loquãtur homines; audi Apoſtolum, Prouidentes bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Et Bernard. ep. 47. *Eſto, ſis continens: ſed ego ſuſpicione non careo: tolle ſcandali cauſſam.* Quid? quòd à gentilitate doceamur? aut pudebit doceri in ſalutem? Macedûm ille maximus, rogatus Darij filias videre. videbatur humanitatis, nec indignũ purpura nec hoſte: at ille negauit ſibi committẽdum, vt qui viros viciſſet, à mulieribus vinceretur, plus veritus mollem proſpectum quàm armatas acies, procurſantes legiones. nec Macedone minor Africanus Hiſpanicas puellas in cõſpectum ſuũ deduci eſt paſſus, ne non ſaluis oculis illas videret, quarum parentes armata dextera imperio ſubegerat. nõ timuit virile, non hoſtile ferrum, oculos timuit deterioris ſexus. Hæc in alta gentilitate. non erubeſcat Religioſus ſequi: & cum magnis ducibus, vt in nauigando procellam, feminea damna vitare, ne iaceamus aliquando cælis, terris, inferis ludibrium.

Et ſanè tot in omni vitæ genere exempla ſunt eorum qui à tenuiſsimis initijs tãquam à minima ſcintilla in ingentes exarſerunt flam-

flammas; quíque in erubeſcendas fauillas redacti, poſteritati imprudenti auſu, infortunatóque exitu præluxerunt, vt nullis alijs documẽtis opus ſit. Hîc ſeptuagenario maior Iacobus, etiam vitæ ſanctimonia miraculíſque clarus, poſt pulſum è puella dæmonem, ad ſacrilegam fornicationem homicidium addidit. In vit. Pat l. 5. p. 580. Pelag. l. 5. nu. 39. Alius poſt ſexaginta annorum teſtatam pudicitiam, quin & poſt ſanctè tranſactam in eremo vitam, ac generoſam quadraginta annorum luctam. Nec pauci eruditione, dignitate, virtute primi vel inter primos, à curioſiore femineo aſpectu vno, familiariore cõgreſſu vno, propiore alloquio vno, etiam à conſanguineo igne, adeóque & ab eiuſdem vteri flamma ambuſti, ac in inuerecundos cineres redacti ſunt. Rufin. l. 3. n. 4. in vit. Pat. l. 3. pag. 496. Hinc ille è ſenioribus eremi cultoribus, cùm cognatam virginem cella excepiſſet, aliam quàm acceperat, dimiſit, & ingens dæmonum gratulatio conſecuta eſt. In vit. Pat. l. 5. p. 580. Pelag. l. 5. nu. 41. Alter in eadem eremo ętati & multorum annorum probitati fidens, amicam ſecurita-

ta-

tatis cellam ſpe meliorum deſerit, mulierē videt, labitur: & ad primum aſpectum poſt tot annorum ſanctimoniam, cano iam vertice, diſcit docetque quid ſit anteactæ probitati fidere; vt neque pietati, neque religioni, neque ætati, neque morum ſeueritati, neque vitæ ſanctè tranſactæ, neque innocentiæ, neque prodigijs, neque ſanguini fidendum ſit. omnes qui timuit, ſecurè vixit; nulli qui fidit, timere deſijt. virtuti, caſtimoniæ, innocentiæ, robori qui innixus eſt, cecidit; ſtetit qui metuit, cui ſuſpecta omnis ętas, familiaritas, vox, oculi, vultus, ornatus; vitauit congreſſus, timideque colloquia miſcuit; tuta delegit, qui ſe Adamum, & in ſingulis alterius ſexus Euam, certiſſimaque venena cogitauit, magnorum infelici exitu doctus, omnem familiaritatem declinauit, certus etiam de lōginquo feminea venena virus ſuum fundere, quo magis de propinquo. hinc illa Hiero. monita: *Quid tibi neceſſe eſt in ea domo verſari, in qua neceſſe habes quotidie aut perire aut vincere? quis vnquā mortaliū iuxta viperam ſecuros ſomnos capit? quæ etſi non percutiat, certè ſollicitat. ſecurius eſt perire non poſ-*

ſe, quàm iuxtà periculum non periſſe. Et Sapiens Eccli. 42. Prou. 6. *In medio mulierum noli commorari: de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.*

Iam cùm ignorare Superior non poſſit; è nullo, quot è femineo ſcopulo, legi ſcribiq́ue naufragia, fugiet has rupes; nec allidet pudicitiæ ſalutiſq́ue ſuæ ratem ad hæc vada. cumq́ue ſciat nullam vllo ſæculo Charybdim Scyllamq́ue nocentiorem fuiſſe, aliò diriget vela, vitabitq́ue infelices crudeleſq́ue voragines tantorum infortunato exitu nobilitatas. Et quis Oceanus naufragijs infamis tot ſorbuit naues, tot exercitus, quot feminea hæc maria animas cælo cõditas? quis enſis aut quod hoſtile ferrum tot cadauerib. fatigauit terras, tantoq́ue ſanguine decolorauit, ſtititq́ue flumina, quot muliebris conſuetudo è minimis nata victimas ſacrauit inferorum flammis? Et inter tot omnis ęui documenta, vetera ac recẽtiora, audere metuenda, dementiæ extremæ eſt. tot millia proſtrata iacent: nec viles animæ, ſed generoſior quiſque, viribus, doctrina, potentia, opibus, ſapientia primus. Et quis poſt tãtas orbe to-

Digitized by Google

to primorum ſtrages, fatali huic præcipitio ſalutem ſuam committat? iacent quaqua flexeris oculos, prima orbis Religionumq; robora proſtrata, & infami femineo iugo ſubacta; & prudens ſe ſuaq; credet illis? Fortiter de omni muliere Ephrem in doctrina varia, tom. 1. *Quid eſt mulier? naufragium ſuper terram, fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ & malitiæ, mortifera conuerſatio atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis ſpiculum, iuuenum perditio, ſceptrum inferni, & concupiſcentia præceps.*

Et vt nihil ſit aliud, vitabit offenſiones, quæ ferè familiaritatem vt vmbræ corpora ſequuntur. ac licet ſecurus aliquis de integritate ſit ſua, timebit alterius, non ignarus facilem in fragili ſexu lapſum eſſe: & vt pericula damnaque corporum abſint, animorum non deeſſe. Intentum proinde oculum in omnem occaſionem habebit Superior; in alijs clemens, in hoc ſeuerus. fidet in alijs, in hoc verò mari magno plus aduigilabit quo maior ſe oſtentat malacia, certus nunquam peritum nauclerum minùs extra metum eſſe quàm dum iacent fluctus, & quodam qua-

ſi ſomnio ſopiti ſecuritatem promittunt; momento infidi exurgunt, & inopinantem imparatumq́ue mergunt. inter luſum nimirum dum blandiuntur, ſorbent, eo nocentiùs, quo mentitâ tranquillitate deluſos crudeliùs perimunt.

Nunquam denique Superior quacunque è cauſſa, etiam grauiſſimæ ægritudinis, aut ſe aut alios ſine teſte in mulierum quacunque familiariori cõgreſſu ſtatuat. adſit ſemper innocentię & ſecuritatis ſocius, qui prę-ſentia ſua, calumniarum, offenſionum, periculorum occaſionem tollat. quãti ſtarent ſi ſocius clauſiſſet latus? quanti perierunt illo deſtituti ſibiq́ue relicti; præda ſolitudini facti, hoſtibus ludibrium, poſteritati exemplum? innocentia non rarò muliebre conclaue ingreſſa, non eſt egreſſa innocentia. neſciebat feminam, ſolitudo docuit. ignorabat in publico illices molléſque illius affectus, didicit priuatim; neſciebat muliebria venena, auſus fuit ſolum ſe ijs committere, hauſit virus & perijt. ita Ægyptius diaconus vir magnus cum nobiliſſima matrona fidâ ſine teſte miſcens colloquia, labitur; & vix

mul-

multorum annorum lacrymis, ſeueriſſimaque pœnitentia, vnicam ſolitariam fiduciã diluit. Omnium horum ſimiliumque infelices exitus tacitus ſecum intueatur Superior: nullum in publico crimen metuat. ſolitudinem ſcelera amant. ſi prodendi periculum eſt, periculo crimina carent. ſed neque delictorum cogitationes animam ſubirent, ſi ſolitudo abeſſet. illa hæc ſuggerit, ac quaſi reluctantes, iniecta dextera ad præcipitia ducit, & nunquam cogitata fortius imprimit, quam vt leui manu euellantur. monemur de hac ſolitudine ab Hieronymo: *Quid ſibi volunt ſola & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi?* & iam olim ab exordio naſcẽtis Eccleſiæ S. Clemens Epi. 2. ad Iacob. *Ad viſitandam mulierem infirmam nullus clericus ingrediatur, niſi cum duobus aut tribus. & nec presbyter ſolus cum ſola adiungatur: ſed duob. adductis teſtibus viſitet infirmam, nec ſolus cum ſola femina fabulas miſceat.* Et Theodorus Studites: *Nec ſolus colloquere cum monacha vel ſæculari, niſi neceßitas trahat, idque cum duabus ab vtraque parte perſonis.* De Auguſtino Poſſidonius: *Si fortè ab aliquibus feminis vt videretur vel ſalutaretur,*

 roga-

rogabatur, nunquã ſine clericis teſtibus ad eas intrabat; vel ſolus cũ ſolis vnquã eſt locutus, nec ſi ſecretorũ aliquid intereſſet. Cantipr. verba ſunt l. 2. c. 11. §. 2. *Nec ſocius ſociũ debet deſerere, maximè in colloquio mulieris, niſi alter alterum videat colloquentẽ.* Et alibi c. 11. §. 1. *Quàm vera ſit hæc vox (væ ſoli) ego noui qui triginta annis & eo ampliùs, vices Epiſcopi in diuerſis prouinciis & diœceſibus habui, qui in hoc articulo quo Religioſi vel ſoli vadunt in viis, vel ſoli manẽt in curiis, horrenda mala horrendaq; ſcandala, horrendaq; pericula frequenter audiui: quæ nunquam ſuſtinuiſſent adiuncto ſocio vel feciſſent.* Habemus etiam è Dominicana familia pręceptũ: *Fratres combinati nullo modo ſe ſeparent ab inuicem qui ſe videre non valeant, & ſibi poßint mutò teſtimonium perhibere in quocunque ſint loco vel negotio.* Et verò narrante Ruffino, è duobus Religioſis alterum qui ſe ſocio ſubtraxerat, miſerè in muliercula perijſſe diſcimus. Grauiùs etiam ſenex eremo à prima ætate aſſuetus, cùm ætatem ſenio morbiſque fractam, & elangue corpus longa macie, & ægritudine marcidum, nequidquam periculorum à Superiore monitus, virgini adminiſtræ commiſiſſet, infelici ſo-

ſobole, vtriuſque innocentiam commaculauit.

Nec ſatis in tutelam eſt eodem cubiculo ſocium contineri, ſed eo ſtatuat loco, quo mutuo aſpectu mutuæ in omnibus innocẽtiæ teſtes habeant. quanti laſciuientes oculos manuſque continuiſſent ſocio inſpectore? quantorum tentata pudicitia eſt ſocio in cubiculi angulo alijs occupato? & vtinam tentatio tantùm, non luſiſſent liberiùs oculi, caſtæ fuiſſent manus, vt reliqua taceam, ſi ſocium habuiſſent inſpectorem. occaſio pudicitiæ ſuæ furem dedit. iam quantę non caſtis ignibus inæſtuantes vel ſolo intuẽtis ſocij rubore, continuiſſent vocem, oculos, manus? vt ſenſerunt ſe non videri, exutâ verecũdiâ auſæ fuerunt prouocare. è tam propinqua flamma quæ non glacies ſoluatur? ignoraſſet veſanos hos ignes, ſi in oculis ſtetiſſet teſtis ſui. nec ſenſiſſet fornaces Babylonijs calentiores, ſi cenſorem habuiſſet; cuius ſolius oculis inſanas has flammas, ſi non reſtinxiſſent, ſanè compreſſiſſent. vt ſi vlli alteri, huic omnino rei ſeriò inuigilandum. grandior ſit ætas an minor in femi-

na, iuxta habeatur. hæc fòrs potentiùs impellet, illa liberiùs. nulli fidat qui pericula damnaq́; non amat, qui ſalutem ſuã amat. ægritudo grauis an tenuis denuntietur, pari loco habeat. Quantę grauiſſimam mentitę ſunt, vt ſe alioſq́; lubentes volenteſque perderent, & traherent quò inſanus amor ſuadebat? hæc grauem auditum commenta eſt, vt ſocium cubiculo pelleret. vocem alia altiùs extulit, cùm fingeret non poſſe depreſſiùs, quo ſocium arceret, proiiciendæ ac proſtituendæ verecundiæ ſuæ impedimentum. alia denſis in fraudem ſuſpirijs lacrymiſq́; ſocium è cubiculo repulit, vt pro lacrymis flammas tutò deuomeret. milleque modis alijs, vt ingenioſa ſemper improbitas eſt, teſtem cubiculo ſubducere conatę plurimę. Subdolus omnis amor eſt, nunquam nequitiæ ſuę machinationibus deſtituetur. fraus illi viſque pro eodem ſunt. tantùm potiatur poſteà pœnitendis, nulliſque exinde lacrymis eluẽdis, ita S. Wolſtanus Wigornienſis Epiſcopus ſine teſte deprehenſus à matrona nobili, diuite, formoſa, ad illicita prouocatur. S. Vincẽtius à puella morbũ ſimu-

mu-

mulante; eiuſdémque Ordinis, Aloyſius Bertrandus; & S. Bernardinus Senenſis.

Quid? quòd euenerit in eodem non ſemel cum ſocio cubiculo, cùm extra mutuũ conſpectum eſſent, vt vterque pateretur impugnantes. adeò inſana cupiditas eſt poſtquam femineum occupauit pectus; modeſtiam omnem exuit, contenta perire, modò aliũ peremerit, ęternúmq; pœnitẽdo lapſu cadere, modò non ſola. Quis credat eodem cubiculo clauſas, auſas fuiſſe inſurgere in viros? cùm ad explicandos ardores ſuos ſatis ſibi tutæ viderentur, ſi mutuum aſpectum fugerent. quò non improba libido proruit?

In qua re illud etiam conſiderandum, nõ minùs ſæpiùs periclitari ſocium cubiculo excluſum quàm ſociorum alterum qui illo concluditur: cùm & ipſe ſine teſte ſit, & inſidijs tuto pateat propugnaculo deſtitutus; prædáque factus non caſtis alicuius oculis, impuręque mentis. Nec vnus periclitatus eſt in hoc genere. non defuerũt quæ aggrederentur viros poſita omni verecundia: quæ exuto pudore vltrò prouocarunt Ioſe-

phos hoſce, etiam minis quaſi tentatæ pudicitiæ; quæque omnia non caſti pectoris arma depromerent. non feciſſent ſi cubiculo ſe in oculis ſocij continuiſſent. paſſi ſunt extrahi. & ceciderunt miſeri, aut non extulerunt, quam intulerunt caſtimoniam; aut dãna retulerunt non caſtarum cogitationum, aut didicerunt quæ ignorabant, fòrs vſuri occaſione data. Quo magis inuigilandum Superiori, & præſcindenda omnis malorum occaſio eſt. ſint è prima nobilitate, è plebe; opulentæ, tenues; alienæ, addictæ; benefactrices, hoſtes; ſenes; iuuenes; ſanguine iunctæ, extraneæ: ſi feminæ ſint pro iiſdem habendæ. & quid refert quo veneno aut ferro quis cadat; cuius manu & conſilijs de ſalute periclitetur? perijt, ne quære cauſam. in quacunque perijt, magna eſt. leuis videtur? nulla leuis eſt quæ vitam abſtulit. etiam à femina ceruices præſcinduntur, & clauo caput terebratur. quid intereſt à tali an à viro? niſi quòd infelicius habeatur feminea manu cecidiſſe; à tam imbelli mollíque virum? nuſquam ergo conniueat Superior, nullíque ætati prærogatiuam concedat. perire miſe-

rum

rum eſt, à quacunque demum manu, maximè in re ſalutis, cui adnexa infelicisſima æternitas eſt, nullis precibus, lacrymis, pœnitentiјs, nullóque æuo mitiganda. prudenter & ad rem noſtram Seneca: *Magna pars peccatorum tollitur ſi peccaturis teſtis adſiſtat.* Et Eunodius etiam fortiùs: *Feciſſe ſcelus creditur qui potuiſſe facere perhibetur, & errorem creditur fouere ſolitudo, & profundam nequitiam incomitatus admittere.*

CAPVT XXI.

Priuata muliebria doña nulli concedenda.

ARcenda hęc dona, nullíque ea in rem vſúmque proprium permittenda. magna enim his ſæpè lenocinijs integuntur mala, virus ſuum ſparſura accipientium damno. Sanè vel ſola beneficij memoria, fortium etiam virorum corda emollit ac frangit: ac imperuia antè pectora muliebribus ſubſternit pedibus, tam mollibus tã durá robora: quæ nullo dæmonum molimine

 fle-

flecti potuerunt,femineo ſuccumbunt dono. magis etiam nocent ſi circumferantur dona, ſi frequentiùs ob oculos verſentur. quæ res ferè minùs caſtas inducit cogitationes. & qui nullis antè minis aut carnificum terroribus, dęmonúmq; ſęuiſſimis incurſibus, nūnc ad muliebria dona ceruices flectunt. quare nulli permittat ſuorum Superior muliebre apud ſe donum ſeruare, maximè ſi conſcientiam ſuam illi committat; in quibus pluſ etiam periculi, quia maior in tales auctoritas ac poteſtas. Benè Hieronymus ad Nepotianum: *Caueto omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur antè deuita: muliebria munuſcula, & ſudariola, & veſtes ori applicatas, & oblatos ac deguſtatos cibos, blandaſq; ac dulces litterulas ſanctus amor non habet.*

Nullas cuiuſque generis veſtes ab illarum manibus cuiquam tribuat. ſi quid dederint, alteri res tradatur, & prioris neceſſitati alio via proſpiciatur. tutiſſima qui præeſt, deligat: peremptura, damnúmue illatura fugiat: exempliſq; in omni fortuna nō infimorum cautior factus, noxia deuitet.

pru-

prudens ſuſpicio eſt nocitura anteuertere; nec improuidè ruinam ſibi quam præcaue-re poterat, acceſſit. Ac nec inualetudinis quidem tempore muliebria medicamenta, aut valetudini profutura dona facilis admit-tat. alia illa potiùs ſi qua ſupereſt parabit via; ne, dum corporis morbo medetur, animo deteriorem ægritudinem paret. neque enim credi poteſt quantum in non magna ſæpè re veneni lateat, quàm peſtilens virus. neceſ-ſitas premit? aliena potiùs manu & liberali-tate parentur, ne dum affectus cum dono creſcit, non antè in vacuo priùs animo & periculorum ignaro, mali ſuſpicio exurgat, quàm intima depaſta fuerint, ſeriuſque non profutura medicaméta circumſpectet, mu-liebribus flammis ambuſtus. principijs oc-curſabit prudens, & anteuertet etiam mala cùm poſſit quiſquis ſapit. ſtolidus remedia in extrema conijcit, admoturus illa vbi ma-gnitudo mali omnem medicamentorum vim, medicorumque peritiam ſuperaue-rit.

Neque ſenio aut morbo fatigatis, mulie-bribus parata manibus donáue admittet.

In quo genere, religione non vltimos peccare videas. nimirum niſi feminea manus interluſerit, nauſeam ſeneſcenti aut ægro paratura ſunt: aut faſtidium è virili dextra naſcetur. mollioribus illa digitis tenuanda ſunt: vt licet meliores à viri manu domeſticę exurgant menſæ, non repleant tamen famē, non leuent ſitim, non nauſeantis ſtomachi vota, niſi illa mulier expleuerit: deteriora ſcilicet, quia à molliore ſexu fercula placēt. Nec ſatis eſt ab illo ſexu venire, à perfamiliari aliqua niſi porrigātur, nunquā femineo huic palato fiet ſatis. mater ergo ſit aut ſoror, aut cognata manus quæ ſubminiſtret. magis etiam ſi conſcientiam ægro committat, tanquam ſi filiæ manibus, non dicam nouæ Rebeccæ Iſaaco, ea parentur, *quibus libenter veſcitur, ſicut velle nouit Patrem* ſuum. Iā cùm ęgro dona placeant, non placeant manus leuandæ ægritudini ſubminiſtræ? non verba manibus molliora, non frons hilaris, non ridentes oculi? non decreſcentia in venerationem genua? non totius corporis gaudialis compoſitio rediuiuo gratulabunda Patri? non oblata obſequia donis

donis maiora, totq; grauidæ nouarum largitionum ſponſiones?

Quòd ſi indulgentior Superior, aut in negando mollior, vel in ſuorum aliquem effuſior, aut offenſionis metu, aut placendi ſtudio, quidquid in hoc ſexu conceſſerit, aut omnibus eadē permittenda, aut æmulationibus, oblocutionibus, fraudibus domum replebit. Vtrumque graue eſt, & in Religionis interitum natum. nam & omnia concedere, Religionem euertere eſt; & detractionibus ſubdoliſque monitionibus, odijſque viam ſternere, Religionem perdere eſt. Neque ſi quid conceſſeris, petendi finis erit, non audendi, non ſequendi: maioraq; indies, exuta ſemel verecundia, depoſcet, quiſquis facilem in hoc genere Superiorem nactus fuerit. Neſcit erubeſcere audacia Superioris indulgentia prouocata, donec cupiditati damna finem dederint, & magnum Religionis nomen feminea flamma ambuſſerit. ſera pœnitentia, tarda poſt ruinam non emendanda prudētia. vna in omnibus negatio minitantibus malis finē dabit. nulli quidquam concedere tutiſſima

via

via eſt. Nec poteſt in hoc genere ſeuerior Superior eſſe: cùm pietatis hîc quoddam genus ſit ſæuire, impietatis indulgere. magna enim pietas eſt nocitura negare, impietas magna nocitura concedere.

CAPVT XXII.

Temporis aliquid certi diebus ſingulis ſuæ ſuorumq; conſiderationi ſibi præfigat Superior.

PErcurrat tacitus ſecum ſeriò ſuperiora capita quiſquis alijs præeſt: in quam rem diebus ſingulis mediam minimum horam ſeponat. videatque num in aliquo, verbis rebuſque deflexerit. num quæ res operam ſuã deſideret. obeat animo capitatim domeſticos omnes, cogitetque ſecum num quã opus monitione, accuratiore vigilantia; num adhibenda currentibus frena, tepentibus calcaria, delinquentibus pœnæ, maliſque minitantibus, aut iam enatis remedia; ac quæ, quibus, quo tempore, per quos adhibenda; per ſe an alium. quo etiam proximorum

Digitized by Google

rum ſibi quocunque modo commiſſorum res loco ſint. num quid ad illorum ſalutem propagandam, timorem, ſpemque futurorum prouocãdam occurrat: quibuſque modis amor illis diuinorum, contemptus temporalium, peccatorum deteſtatio, virtutum proſecutio prouida prudentique manu inſpargi ac inſeri poſſit: quibuſque vitia prauęque ac inolitæ conſuetudines, habituſque extirpari ac erui radicitus queant.

Quòd ſi alia magis placeat ratio, diuidat hebdomadam in dies ſingulos, ſinguliſque, certa per horæ medium decurrat capita, ne tot vno tempore obruatur, propiuſque certiuſque ſingula perſcrutetur.

Feria II. res familiæ ſibi commiſſæ temporarias diſcutiat, videat quo illæ loco. qua induſtria domi foriſque egeant, quibus anguſtijs premantur, qua copia qua inopia laborent, qua fide prudentiaque à domeſticis externiſque pertractentur, quo emolumento damnoque domus. quid vniuerſim, quid ſingulis ad religioſam vitam tuendam fouendamque neceſſarium. num quid religioſæ moderationi ſuperſit, nũ quid neceſſitati de-

deſit, temporíne res parentur. vt antè prouida quadam ſollicitudine diſcat aſſueſcatque futuris proſpicere, réſque ſuis locis temporibúſque parare. Luſtret deinde non rarò domeſticas officinas omnes, vt earum conditionem perſpectiſſimam habeat, nihílque omnium illum fugiat, quæ quoquo modo temporariam rem tangant. dati proinde acceptíque rationes omnes ſciat & intelligat, debitáque creditáque, ac fortunas omnes, earúmque conſtitutionem, vt omnino nihil illarum rerum illum lateat.

Feria III. ſingulorum munia & occupationes percurrat. qua illa ſinguli fide, qua ſollicitudine, qua circũſpectione religioſáque moderatione obeant. quo Confeſſarij, Concionatores, Profeſſores, Fratres ſinguli, ſtudio diligentiáque agant. quo illa modo peragant, ſæculari, religioſo, prouido, prudenti, maturo, ſubito, imprudenti, frugali, prodigo. quo in illis fructu damnorúmque ac emolumentorum tam ſpiritualiũ quàm temporalium periculo ac ſpè verſentur, quid vniuerſim, quid ſingulatim timeri, quid ſperari ab illis poſſit. qui in impo-

ſito

ſito munere continuandi, qui remouendi, queque remedia ſubſidio egentibus adhibenda ſint. que denique cuiuſque ſpiritui, ſpirituales ac corporales exercitationes in primis vtiles ac neceſſariæ ſint. aut cui quiſque muneri maximè idoneus. aut in quo maiore fructu, minoréue ſuo aliorúmue damno occupari poſſit.

Feria IV. Quæ conſeruandæ ac tuendæ omnium ſingulorumque valetudini neceſſaria, conſideret. num quis ſupra vires pluribus tā ſpiritualibus quàm temporalibus diſtineatur, ne aut ſuccumbat oneri, aut temporalium multitudine ſpiritus ſuffocetur, aut pietatis ardor extinguatur; num quis longè infra vires occupetur, ne variarum ex otio tentationum materia fiat. Nam quæ ad religioſum victum, veſtitum, habitationem neceſſaria ſubminiſtrentur; quæ ægrotantium, aut laboribus ſeniéue fractorum cura habeatur; quo affectu, prōptitudine, beneuolentia, illorum neceſſitatibus proſpiciatur; num quis aut ingraueſcentis ętatis aut tenerioris valetudinis, aut grauium laborum intuitu, peculiari re

qua-

quapiam indigeat. num quid publicè priuatímq; deſit, quod & parari poſſit, & religioſæ modeſtiæ ac paupertati non repugnet.

Feria v. Perpendat ſeriò, magnáque circumſpectione, quæ ſpiritui cuiuſque magis commoda ac oportuna, quæque ad ſpiritualem profectum neceſſaria, auxilióque ac incitamento eſſe poſſint ad maiora. quæ ſingulorum malis animíque morbis remedia adhibenda. quo quiſque quantóque freno aut calcaribus egeat. quem fructum referat, quæúe damna meritò timenda ſint. quo etiã ardore aut tepore per virtutum ſemitam ſinguli decurrant. num quæ impedimenta conſequendæ perfectioni obiecta. num quæ vitia ſiue priuatim ſingulos, ſiue familiam totam occupent. num quæ occulta mala, plures pauciorésue poſſideant. quibus hæc modis vinci ac domari poſſint, quibus radicitus euelli. quo ardore fructúque tam publicè ab omnibus quàm priuatim à ſingulis, orationis ac meditationis diurnæ ſtudium pertractetur. quãtis ſinguli in ijs, ac in mortificationis in primis exercitationibus, progreſſibus creſcant, quantíſq; retrogreſſibus de-

decreſcant. quo amore, feruore, tepore, languoréque ijs incumbant, qua diligentia, aſſiduitate, negligentiâ.

Feria VI. Quæ domeſticam tangunt diſciplinam, conſtitutionum, regularum, ordinationúmque obſeruationem, diligenter excutiat, vigeátne an iaceat primæuus ardor in tuenda religioſa diſciplina. ſi iaceat, quæ ſit cauſa proſtratæ diſciplinæ, qui auctores ducéſque ad illam. media deinde erigendæ diſciplinæ cogitet, ſuóque in primis exemplo ad accuratam regularum omnium etiã minimarum obſeruationem ſuos impellat, nec antè verbis quàm factis præluceat. omnem deinde occaſionem diſſoluendæ diſciplinæ prudens paſtor amoueat, omnem excitandæ ac erigendæ adhibeat. Videat qui ad illam erigendam fouendámque accommodatiore ſint ingenio, quibus prȩeuntibus ſubſequantur reliqui. Laudet obſeruatores, damnet violatores, ac pœnis etiam coërceat, omnibus quaqua parte intentus, ac minimis etiam: quorum tranſgreſſiones gradus ſunt ad maiora, & via ad illa, ſingula proinde diſpiciat, vigilemque

Digitized by Google

que in omnem partem animum oculoſque intendat, domeſtico in primis ordini, quem non patiatur impunè violari. quòd ſi in alterutro peccandum, plus de rigore quàm de nimia indulgentia oſtentet; medium tamē tenuiſſe tutiſsimum, vt rigori miſta clementia & benignitas ſit: nec vlla eat ſeuerior admonitio, nulla pœna ſine linimento, vt non à iudice ſed à patre profectam ſentiat qui monetur ac patitur.

Sabbato circa ſalutis proximorum propagationem quomodo ſe habeant ſui, diſpiciat. qua religione, moderatione, circūſpectione, prudentia, zelo. aberréntne à fine aut mediis. ardeántne, feranturque imprudenti æſtu & calore, an ignauo quodam tepore ignaueſcant. otijque amore & commodorum ſuorum teneantur, laborum ſudorúmque pertæſi. quibus excitari modis poſsint, orationum frequentia, aliorum exemplis, laude, ſpe præmiorum, operis nobilitate, pœnarum pro neglectu metu. quæ res ſaluti promouendæ vtiles, quæ neceſſariæ, quæ ſingulorum ingenijs pro conditionum varietate accommodæ, quæ nobi-

Digitized by Google

litati, quæ viris doctis, quæ diuitibus ac in dignitate conſtitutis, quæ militiam ſecùtis, quæ populo infimæque plebi ac egentibus, quæ vrbium incolis, quæ agrorum cultoribus. quæ deinde in ſingulis ſaluti procurandæ impedimenta ſint. à quibus poſita. an ab ingenio cuiuſque, an ab alio nata, vt tollendi illa modos viámque diſquirat, ac in omnem ſe partem vertat, quo optatis fruatur. per eos maximè res aggrediens, quos commodiſſimos arbitrabitur. cùm plurimùm referat quid cui committas. & magna victoriæ pars ſit, commodum ſaluti alterius inhortatorem nactum eſſe.

Dominico. Quæ perſonæ ſuæ munerisque ſibi impoſiti propria ſunt, quæque regulis ſibi præſcripta, diſquirat, quo ſe in illa amore ferri ſentiat, quóue neglectu. qua diligentia illa tueatur ac intacta ſeruet, quamtúmue in iis ſibi indulgeat. prior ipſe in illarum obſeruatione, an poſtremus exemplo ſuis præeat, an ſolis verbis, aut ne verbis quidem. quanta damna è negligentia ſua, quanta è diligentia commoda ad omnes profluant, Non poteſt ad munerum

expte-

expletionem alios inhortari, qui in ſuo torpeat: minùs etiam pœnis regere, qui primus regularum ſuarum tranſgreſſor audit. excitet proinde ſe, animétque ad accuratam omnium obſeruationem, tanto habiturus obſequentiores regularúmque ſuarum ſtudioſiores, quanto ipſe in impoſito ſibi munere fortiùs progredietur. omnium deinde ſubditorum ſibi in munere conſtitutorũ regulas percurrat, & familiariſſimas eas ſibi ac domeſticas faciat, nec quidquam illarũ ipsũ lateat, aut memoriam ipſius effugiat, ne dũ illarũ ignoratione laborat, ad earũ ſuos obſeruantiam prudenter impellere non poſſit.

F I N I S.

Errata ſic corrige.

Pag. 37. l. 6. *pro frontibus* lege *frondibus*. pag. 45. v. 4. à fine pro *integret*, lege *integeret*. pa. 48. v. 2. pro *terror*, lege *ferro*. pag. 61. v. 8. à fine *meria*, lege *merita*. p. 72. v. 5. *ſeruant qui ponit*, lege *ſeruat qui punit*. p. 73. v. 14. *ablegatam*, lege *ablegatâ*. p. 92. v. 6. *fetet*, lege *feret* p. 132. v. 5. à fine, *malam*, lege *malum*. p. 147. v. 8. à fine *conſilio*, lege *conſilia*. p. 180. v. 8. *à fine, vocare* lege *vacare*. p. 181. v. 3. *notant*, lege *nôrant*. p. 189. v. 9. *peritiſſimus*, lege *peritiſſimis*. p. 249. v. 7. *caso*, lege *calo*. p. 272. v. 4. à fine, *valatica*, pro *volatica*. p. 295. v. 3. à fine *cõtemplatio* lege *contemplationi*. p. 297. v. 3. *his* lege *hi*. p. 346. v. 3. *proſequitur* lege *proſequetur*. p. 404. v. 12. *manifeſtatio tentatione*, lege *manifeſtatione tẽtatio*.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Laboratorio di Restauro
Leandro Gottscher
Via del Boschetto, 97
Roma
APR. 1970
Digitized by Google